



WARBURG



18 0153136 5



16/1099

21/3 VII 295084

f
m
h

1231

DE EORVM QVI
COMETAE
APPELLANTVR,
NOMINIBVS, NATVRA,
CAVSSIS, SIGNIFICA
TIONE:

CVM HISTORIARVM MEMORA
bilium illustribus exemplis, Disputatio atq;
narratio IOACHIMI CAME
RARI PABERGER.
edita,

LIPSIÆ

IN OFFICINA HAEREDVM
VALENTINI PAPAE.

Anno Christi

M. D. LIX.

20322



DE COME- TIS DISPVATIO ET NARRATIO HISTORIA- RVM MEMORABILIVM IOACHI- MI CAMERARII PABERBERG. AD MAGNIFICVM VIRVM CHRI- STOPHORVM CAROLOVICIVM DOMINVM RVBRAE DO- MVS ET HERMINIA- NI ETC.



V A CARTA AL-
lata confidentius nuper scri-
bere institui, quemadmo-
dum largius potant, qui ἐκ
πίθου, secundum Theocri-
tum, ἀντλῶσι. Cum alia
autem ceperam, quasi illi-
nere in hanc, tum considera-
tiones quasdam meas de nostris sermonibus, quos ha-
buissemus de illarum flammarum genere, et formis,
quarum nuper conspecta esse una multis in locis et
a uiris dignis fide affirmabatur. Specie ista quidem
pugionis, qui sunt ἐπίοιαι. Cum illa ante biennium
altera quasi porrecta barba tenuium pilorum et
pallidorum, quæ euanuisse autumnio putabatur men-
se Martio denuo apparuisset, occultata eo trimestri

non extincta. Atq; nostrum colloquium tum neq; accuratum neq; copiosum esse potuit. Nam & breue tempus, quo unà uersaremur, concedebatur, & multa, ut in festinatione fit, miscebantur, nec non interpellatione aliorum illud sæpe impediabatur. Sed de alijs fortè aliàs. Cum autem complures animaduertissem de his ignibus uel siderum uel ardentis uaporis, edere commentationes suas, uisum fuit & mihi explicatius ad te perscribere, ea quæ nuper strictim attigissemus. Dum autem in ijs quæ incoaueram, ultro interdum cesso, interdum studens illa absoluere alijs rebus impediior, me eo etiam cui edendum hoc opusculum traditurus eram, morante, & ita ipso apud me delitescente: Ecce manifesta Pogonia flamma apparet, in plaga occidentis uesperis supra Leonis, infra Helices signum, ad Comam Beronices. Tum uerò differendam rem amplius non putavi, & resumsi in manus, eam partem quam de cogitationibus animi mei descripseram, & reliqua attexui, ut, id quod erat informatum & conceptum perficeretur, & hæc dedi exprimenda typographo nostro, ne si non quàm primum diuulgarentur, prorsus non exirent obsolescentia apud me, uel saltem serius ad te peruenirent. Atq; erunt hæc scilicet cuiusmodi esse nostra & possunt & consueuere, id est Φιλολογώτερον ἢ φυσιολογώτερον. Quod tamen genus cum liberale sit, etiam ad cognitionem certam quarumcunq; rerum non minimum adiumenti afferre solere,

compleuit de
cometis scripsit
vult.

Pogonia flamma.

solere, mihi est persuasum. Et conatus autem meos scribendi interdum aliquid ad te incitat, & industriam in opere perficiendo excitat, cogitatio non modo uirtutis & sapientiae singularis, sed humanitatis quoque & comitatis eximiae tuae. Ad quae accedit perspecta mihi, tam erga opt. artium, quarum te principem appellare licet, studiosos benigniss. uoluntas, quam erga me peculiaris affectio, in memoria necessitudinis ueteris, & cura adiungerendi nouam. Quae sane nunc à plerisque aliter fieri animaduertuntur.

1-2-3- Qui aut οὐλοῦν γὰρ οἱ, ad opulentiae ostentationem pertinere putant litterarum contemptum, & humilitatem studiorum liberalium despiciunt, aut uoluptatum illecebris deprauantur, aut ferociae insolentia inflantur. Tu uero & intelligis quam praeclara res sit doctrinae eruditio, & tantum abest ut splendor & praestantiam dignitatis illa obscurari suspiceris, ut nihil ornare commendareue haec magis possesentias. Sed ad te, de te, non sunt tales quasi declamationes detexendae. Vt igitur ad propositum argumentum reuertar, memini ante annos uiginti quatuor, cū talis flamma se ostendisset uergens ad plagam occidentis, multorum oculos & animos ad spectandum & querendum conuertere. Et nos tum nescio quid balba de nare locuti, postea litteris mandare nō dubitauimus. Idq; scriptum fuit editum. In quo nihil est, uel non certē multum, quod mihi probetur. Cum oratione minus elaborata & perpolita exponantur

huc splendor
vultu dignum
lucis uultu

in uultu
conspicuum

ea, quæ & attentius perscrutanda, & subtilius disse-
renda, & copiosius enarranda fuisse uideantur. At-
tigimus enim certè res dignas sapientiæ atq; doctri-
næ præcipua facultate & industriæ ac studij conten-
tione summa. Quarum in illo scripto nostro apparet
conatus quidam, operis perfectio non apparet. Sed
ueniam merebitur, ut spero, uel audacia in re honesta
communis cum multis, uel in bonarum artium tra-
ctatione periculum faciendo cupiditas, uel etiam uo-
luntas obsequendi amicis, à quibus tum hæc opera
expetebatur. ætati etiam uenia dabitur, quæ est ado-
lescentiæ semper & præceptis magis & imprudenti-
or, & minus timida. Nostræ quidem considerationis
quasi fundamentum tum fuit, supra quod totam di-
sputationem illam extruximus, sententia Herodoti,
quam res Aegyptias enarrans ille memorat, hæc.
 γνομὲν δὲ τὸ ῥα τὸ φυλάσσει γραφόμενοι
 τὸ πῶς αἶνον. καὶ ὡς οὐτε ὕσδρον πῶς ἀπλή-
 σιον τὸ τῷ γήνηται, ἵα τὰ τῷ τὸ νομίζουσι
 ἀποβῆσθαι. Cum ostentum extiterit, conseruari
ait memoriam euentus, & perscribi quid fuerit secu-
tum. Atq; ita, si quid simile postea rursus extiterit,
similes esse euentus secuturos, decerni. Hæc cum le-
gissem, meam aliorumq; plurimorum opinionem,
Ista ostenta aliquid significare non communis neque
usitati modi, quod antiquissima persuasione confir-
mari uiderem, admodum sum lætatus. neq; alia iam
 calli-

Etiam adole-
scencie uenia
danda.

ut in Herodoti
mirabilis.

DISPUTATIO.

5

calliditatis commenta duxi esse curanda. Quemadmodum autem tunc feci, ut tempora quædam indicarem, quibus talia ostenta uisa essent, Ita modo quasdam historias uerbosius exponere placuit, ijs de causis, quæ referentur, ubi prius de horum natura & conditione pauca quædam differuero. Quæ quidem flamma anno Christi M. D. XXXI. primum conspecta fuit plaga occidentis uesperis, ineunte autumno, ea sequente anno denuo fulsit, loco quidem eodem ferme, sed matutino. Anno uerò M. D. XXXIII. haud scio an illa eadem iam euanescebat nocte tota apparebat, propter septentriones hærens in signo Caphei. Quam autem uidimus biennio, eam constat de signo Virginis, quem Græci ἀστρομόριον uocant, ascendentem ad uerticem mundi, per conuexa cœli ad oppositum signum piscium delapsam, cerni amplius non potuisse. Hæc loca incidunt in δωδεκατημόρια, hoc est quasi uncias circuli signiferi Libræ & Arietis. Confecit igitur suo motu istius sideris seu flammæ progressio dimidium orbis. neq; longè euagata est extra circulum maximum, qui duceretur per puncta duo, unum ad partem circiter XI. Libræ alterum ad P. XI. Arietis Manifeste autem depræhendi potuit obseruando, contendere illud ad Saturni stellam, qui est Græcis φαίρον. quo tamen propius accessit, eo tardior fuit processus. Sed quæ species nuper mense Octobri anni superioris apparuisse perhibetur, ea traditur in

propo hys op
sculi.

Cometa anno
1531

Cometa anno
1533.

ἀστρομόριον
signum ♍

Cometa p dim
dium Zodiacum
pgressus.

Φαίρον
stellam ♄

plaga occidentis uisa, & notata esse in dodecatemorio Sagittarij, cum Sol Libram iam peragraret. Fuisse autem formam pugionis seu ensis, globo ignis illius emittente fulgorem in unam aciem desinentem, colore pallido, & luce rara atque exili, quale esse solere hoc genus Plinius scripsit, his uerbis, Sunt omnium pallidissimæ & quodam gladij nitore, sine ullis radijs, cum quidem esse breuiiores dixisset, & in mucronem fastigiatas. Etiam alterius conspectæ flammæ facies luminis erat tenues radios iacentis, & magis pallentes quàm rutilantes, sed sparsim de globo flammæ nitido. Quin ea esset quam Græci πωγωνία nomine indicarunt, quando in speciem barbæ longæ promittitur iuba, ut ait Plinius, non dubitauimus. Græci quoq; sic describunt, ἡ πλωὴ τὸ κάτω τὸ δ' ἄνω σφωτότερον εἶναι. id est, eam partem quæ extenditur, & infra eminet, passis radijs conspici, cum sit coactior & arctior superior. Aristoteles plane dicit, circumfusam pariter comam, speciem esse κομήτης. εἴπερ δ' ἐπὶ μῆκῳ, inquit, καλεῖται πωγωνία. Atq; talis ea quoq; flamma fuit, quæ circiter Non. Sextil. nuper est conspecta, & nos paucis post diebus uidimus, ascendentem illam quidem meridiemq; uersus abeuntem, sed itinere adhuc inexplorato. Quod si aliquarum stellarum quasi ditioni & potestati subiijciendi hi fulgores esse uideantur, pertinere istos omnino ad Saturni, & Mercurij stellas, quarum illa, ut diximus, φαίνωρ, hæc

hæc σίλβωρ Græcis est, sumus arbitrati. Vocarunt autem Græci genus totum κομήτας ἀσέρας, sed distinxerunt formas nominibus. Latini Crinitas seu Cincinnatas stellas. Quarum naturam et conditionem cum antiquitas tum posteritas tota dignam esse iudicavit, in qua perquirenda studium sapientiæ occuparetur. Ac Aristotelicam quidem sententiam plerique posteriorum secuti fuere: Esse infra æthera, cuius citimam terris partem obire luna creditur, Igneum quendam uaporem. Non flammam illam quidem, sed feruentem siccitatem, quam ille ἀναθυμίασις τῶν θυμάτων ἔστι καπνὸς ἔστι ὑπὲρ καύμα appellat, quæ nullo alio quàm ignis nomine indicari possit. Infra hunc aërem diffundi, naturam calidam et humidam. Conuersione autem cœli contorqueri ambo, tanta ui ac celeritate, ut, si uspiam ad inflammandum idoneam et opportunam illa quasi materiæ igneæ copia se præbeat, id est, quod ait ipse, ἢ ἂν μάλιστα εὐκαίρως ἔχοι ἢ τοιαύτη σύστασις, statim exardescat. quod si illa materia eiusmodi sit, quæ non modo concipere flammam, sed alere etiam aliquantisper possit, id genus uocant κομήτας. Ad quos referentur et πωγωνίαι, de quibus diximus, et λαμπραδίαι, quasi faeces dicas. et ἀκοντίαι ac ξιφίαι, cum tanquam iaculorum et ensium figuræ cernuntur. δισκῆες autem orbis habent effigiem, κούρταίαι cornus, ut inquit Plinius. ἱππεύς equinas iubas implicatas. Densa

κομήται ἀσέρας
Crinitæ seu Cincinnatæ stellas.

Artis sciæ de cœli
mutatæ naturæ

unde mæ comæ
tardius inflam
mantur.

Species

autem species uillis Ἑόγυς id est, hirci nomen inueni-
 unt. τριβίτης, doliorum cernitur figura, in concauo
 fumidæ lucis. Hoc si genus quoppiam est Cometarū,
 aliad erunt χάσματα & βόθωοι Aristoteli, qui
 ita appellat uisa quædam apparentia cœlo sereno
 noctu, colorante & figurante ærem modica flam-
 ma tanquam speculo reflexa, & non diu durante.
 Sed qui fulgores Cometæ dicuntur, eorum omnium
 eadem caussa esse potest, quamuis facies diuersa sit,
 secundum ea quæ ab Aristotele commemorantur.
 Prisci Phaëthontis fabulam, ad horum siderum co-
 ruscant secundum poëtas, flammam applicarunt.
 Quod istud esset quasi incendium Mundi, cum sem-
 per æstus ac siccitas orbem terrarum affligat, quo-
 ties Cometarum ardor fulgeat. πολλοὶ γὰρ κομό-
 ωσιν ἐπ' αὐχμηρῶ ἑνὶ αὐτῷ, secundum Ara-
 tum. Et traditur huius sideris uel dissipationem uel
 διάλυσιν, uel amotionem ab oculis, id est, ἀφ' ὁ-
 ρῶσιν, à ueteribus appellatam fuisse κορῶνωσιν.
 Phaëthontem enim Poëtæ narrant euagantem lon-
 gius, ne exureretur Mundus, ictum fulmine à Ioue es-
 se, deiectumq; in terras. Aristoteles quidem scribit,
 simul aliquando plures Cometæ esse uisos. Sed com-
 pertum hoc esse non putatur, & notauit Plinius quo-
 que. Hoc omnino ueri est simile, quemadmodum
 uentorum impetus ad ærem hac aut illa parte agi-
 tandum impellitur ab ætherea quadam & stellarum
 ui atq; potestate, sic & incendium illud excitari &
 certo

hirci Cometa
 similis hirci.

certo quodam itinere circumduci ab aliquarum stellarum in æthere propria gubernatione. Putant autem Astrologi uentos Aquilonares à Ioue cieri, Australes à Venere, Vulturnos à Saturno, Fauonios à Marte. ut Mercurij stella communis quædam domina uentorum relinquatur. Quod si lapis, quem Herculianum uocant, ferrum attrahere potest, quid ni possit æris quasi fluxum commouere aliqua in æthere stella? Atque esset optandum idem studuisse quàm plurimos de huiusmodi flammis obseruare, quod in paucis quibusdam notatum est. Illam certè quæ fuisit ante biennium depræhensum est directo itinere perrexisse ad Saturni stellam, quæ infra Piscis magis aquilonaris signum in Arietis dodecatemorio tunc reperiēbatur. Quadam autem ratione ignota nobis, per Septentriones ab ortu rursus ad ortum per id conuexum cœli, quod ijs qui Septentrionum habent sublimem uerticem, conspicitur, traducta κατὰ τὰ πρὸν γὰρ μὲν αὖτε peruenit. Diu autem hæsit quasi in catenis Andromedæ ex Cepheo ad illam delata, ut supra Italiam diebus pluribus transierit. Quod si perpetuum hoc sidus est, ut Pythagoreis placuit, & quodam nondum depræhensio motu non aliter quàm cætera quæ errantia uocantur, conuertitur, nihil tamen prohibebit, ut opinor, aliquam causam φάσεως, id est conspectus Cometæ, ad certas stellas referri, quarum positus, qui tamen demonstrari nequit, propter mirabiles Cometarum migrationes,

tiones, & non observata tempora, efficiat, ut regionibus aliquibus & in terra locis, quæ sunt κλίματα καὶ οἰκήσεις, sidus istud appareat. Non autem prius Pythagorei tantum, & post hos Stoici, sed ex Sarracenis Astrologis quoque aliqui plurimis annis postea, crediderunt Cometas sublimi in æthere, id est, ea cœli parte in qua stellarum, quæ errantes dicuntur, luces eminent, conuerti, certis argumentis esse cognitum. Et quidam, quem transferentes in sermonem Græcum scripta ipsius, Apomasarum nominant, se ipsum oculis suis uidisse narrat, Cometam supra stellam Veneris. Sibi quoque ab alijs esse dictum quod conspexissent Cometas supra Iouis & supra Saturni sidera.

- πλὴν τοῦτο γίνωσκε, inquit, ὅτι πάντες οἱ κομήται πάντοτε τόρας εἰσὶ πονηρὸν, καὶ μεγάλα ἀποτελοῦσι συμπλήματα. καὶ τὰ συμπλήματα ἀνάλογα γίνονται τῷ μεγέθει αὐτῶν. ἡ μὲν γὰρ μέγας ὄντι ὁ κομήτης της μεγάλα ἀποτελεῖ συμπλήματα, οἱ δὲ μικροί, ἐλάχιστα. Idem hoc dicit Synesius, autor non contemnendus, specie Cometarum semper aliquid mali portendi, & significare hos calamitates publicas, nationum ἀνδροκρατισμοὺς, id est, servitutem & direptiones, ciuitatum euersiones, Regum interitus, denique paruum aut mediocre nihil. Atque narrat de quodam quem ipse uiderit, cum quidam Cometas ψευδώνυμος ἀσέρας uocet, id est,
- falso

Apomasarum
astrologorum
sermone.

Cometa in æthere
dephansus

Apomasari ipsi
nomen

Synesii

ψευδώνυμοι
ἀσέρες

falso nomine sidera, qui emersus à plaga Australi & signo Aræ, Græci Δυτήγιον appellant, processerit ad punctum æquinoctij. hinc perget, inquit, ad Septentriones, & præteribit Mundi uerticē, nisi prius interierit. Putat enim & hic esse Cometas non uera sidera, sed incensos & ardentēs, secundum Aristotelem supra aëris regionem uapores. Cur non liceat autem suspicari, in hoc denso illo quidem sed perspicuo tamen cœli corpore, eum, qui est autor & fabricator uniuersitatis rerum & operis admirabilis, eius quem Mundum nominamus, quoties uideatur, collocare aut exhibere posse aliquam naturam uel efficientem atq; mouentem certos euentus atq; casus in terris, uel certē significantem & portendentem. Quod si per certa interualla & suis temporibus illa exhibeatur, causam, cur inexploratum atq; ignotum hoc illi esse placuerit, fortasse hanc suspicari liceat, ut signo isto uehementius commouerentur percellerenturq; animi hominum. Sin nouam istam naturam creari existimandum, quid prohibeat ad illius etiam ortum & formam suppeditare ueluti materiam arbitrio creatoris, ea quæ iam facta atq; condita sunt. Quemadmodum & Homerus plane dicit arcum cœlestem in nubibus apparere atque statui diuinitus, cum euident sit, ad hunc exprimendum nubes inseruire quasi elaborationi diuinæ. Comparans enim cum hoc dracones in lorica Agamemnonia, esse ait,

70 archimi fuit

151051

ἱερίαις ἐοικότας, ἅς τε λεοντίων
 γὰρ νέφει σήειξε τόρας μορόπων ἀνθρώπων.

Et alibi,

ἢ ὅτε πορφύρεω ἱερὸν θνητοῖσι τανύσῃ
 Ζεὺς ἐξορᾷ θέν τόρας ἔμμελαι ἢ πολέμοιο,
 ἢ καὶ χαίμων θ' δυσάλπεθ'.

Idem et siderum ostenta diuinitus exhiberi perspicue
 dicit, ubi de labentem caelo Mineruam in medio cam-
 po micuisse ait,

οἶον ἄστρα ἦκε λεόντι παῖς ἀγκυλομήτεω
 ἢ ναύτησι τόρας ἢ στρατῷ θυρεὶ λαῶν
 λαμπρόν, τό δ' ἐτε πολλοὶ ἀπὸ πινυθῆος
 ἴγνται.

Quod enim hoc aliud sidus sit quàm quale eorum est
 quæ crinita nominantur? Nam neq; διαττόντες
 illi ἄστρες diu conspiciuntur, sed celeriter quasi una
 scintilla præteruolant. Et aliæ species cum euane-
 scunt statim tum flammæ crebros radios non ia-
 ciunt, ut omnino ad Cometarum fulgorem et mican-
 tes radios illius sideris similitudo pertinere uideatur.
 De quo tamen οὐ μαχόμεναι τινι si quis fortè disce-
 ptandum esse putauerit. De Cometa autem quem
 Synesium scripsisse à se esse uisum, supra retulimus,
 uenit in mentem et Claudiani uersum, haud scio, an
 de eodem ipso Cometa, ex quarto libro de bello Ge-
 thico, horum.

Synesium de
 Cometa

Claudiani
 uersus de
 Cometa illi

Et

Et nunquam coelo spectatum impune Cometen
 Qui primum roseo Phœbi prolatus ab ortu,
 Qua micat astringera senior cum coniuge Cepheus,
 Inde Lycaonia paulatim expulsus ab arcto
 Crine uago Getici fœdauit sidera plaustri,
 Donec in exiguum moriens uanesceret ignem.

Verum de natura & origine Cometarum, id quis-
 que licet, sentiat, quod ipsi probatur maximè, & ue-
 ri esse similitudinem uidetur. Non enim sensibus modo
 quæ percipiuntur, eorum ἄλλο ἄλλω ἡδύ, ut ait
 Aristoteles, sed diuersorum sunt etiam opiniones di-
 uersæ, & aliorum sententiæ aliud arridet. De ijs au-
 tem quæ non sunt exposita ad comprehendendam
 sensibus, id est, ut ait idem Aristoteles, πρὶ τῷ ἀφ' αὐ-
 τῶν τῆ ἀποδείξεως, et disputationes certissime existi-
mandæ sunt, quæ id demonstrant quod omnino fieri
posse uideatur. hoc enim certè est, rem εἰς τὸ δύ-
 νατον ἀναγαγεῖν. Ut si φυσιολογεῖν aliquis
 uelit, (quamuis causæ fortuitæ & materiæ mutabilis
constantem & perseverantem cum formam tum pro-
gressionem esse, consentaneum non sit) Aristotelicæ
tamen de Cometis si non coniecturæ, at argumentati-
ones cæteris fortè præponi debeant. Neq; futura il-
 læ sint à doctrina ueritatis, quæ in Ecclesia Christi
 explicatur, alienæ aut abhorrentes, si quis ita cogno-
 scat, ut ad religiosæ scientiæ quasi normam applicet.
Vnde discedens omnis sagacitas & peritia & sapi-
entia, stupida fit & ignara & demens, quamuis per-

se acris

De Nā et ori-
gine Cometa-
rum iudicium
lib. 12.Aristoteles sententia
his disputationibus
ferenda aliorum
opinionibus. hinc
probabiliorProlata e uoligi-
osa Iouachimi
Sentia.

~~Cometae~~
~~hinc impu-~~
~~claudianus~~
~~lib. 12~~

se acris et copiosa et eximia. Et hi sunt de quibus scribitur, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετός αὐτῶν καρδία, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Sed quaecumque res aut natura sit ille fulgor, quem Cometen nominamus, et quicquid de hoc credere persuaderetur sibi, et siue in æthere seu aëre hunc collocare aliquis coniectura sua uelit: Id omnino constat, esse hoc corpus quoddam fulgens, et, ut uidetur, rotundum, et aliqua de caussa radijs hanc aut illam formam exprimens. Quos quidem à Solis lumine eminere qui putant, eorum opinionem id confirmare possit, quod illi, quos diximus, radij à Sole quodammodo auertantur, ut à splendore Solis de Cometæ corpore secundum huius tam habitum quam positum, certam quandam speciem radiorum apparere existimandum sit, uel extensis illis uel implicatis, et in directione uel continuatis uel diuisis. ij certe nihil afferre uidentur, cui fides habenda sit, qui tradunt, ἐμφασιν esse hanc totam, id est, inanem speciem seu imaginem, qualis in speculis cernitur, et qualem esse plerisque placet arcus cœlestis, cum et globi ignei Cometarum euidentes sint, et tam diu in cœli perpetua conuersione, et suo quoque itinere, eandem imaginem permanere, ratio nulla constituere uideatur. Est hæc natura omnino corporis, neque in aliena quasi subiecta materia, accessione quasi inhaeret lux ista, quæ adhuc illa durante extinguatur. Sed siue

Definitio sive descriptio Cometen

siue Aristotelicus uapor, tanquam fomes ignem alia
 quando concipit, & parte quapiam sui inflamma-
 tur, seu alio modo existunt hi fulgores, seu est origo
 etiam eorum æqualis & compar stellarum origini,
 planè esse propriam hanc naturam, nō speciem ina-
 nem statuendum est, undecunq; sanè diuersæ quædam
 figuræ accedant atq; conspiciantur. His quasi præ-
 narratis ad historiarum ueniamus expositionem.
 Dictum autem est Cometarum ostenta non esse leuia,
 neq; paruarum rerum aut communium euentuum si-
 gna sed casuum mirabilium & ingentium calamita-
 tum, quæ ad totas ciuitates & uniuersos populos, ad
 regna & imperia orbis terrarum pertineant. His
 autem, secundum Ptolemæum, generalibus fati, sin-
 gulorum etiam fortunas compræhendi obscurum nō
 est. Vt enim ruina domus parietum & tecti euer-
 sionem, & inflammatio urbis ædium incendia com-
 plectitur, Sic publicæ ærumnæ priuata infelicitate
 complentur. Quamobrem ea quibus miseriam præ-
 cipuam tristiss. casuum præsignificari uult diuina &
 uis & bonitas, cum animaduertenda sunt accurate,
 tum studiose notanda, tum etiam assumenda ad ani-
 mos confirmandos & præparandos, ut minus pertur-
 bentur repentinis malis, & præuisa facilius ferant.
 Ad quod magnopere prodest, ea nouisse & habere
 in promptu, quæ alijs temporibus acciderunt, secuta
 portentorum ostentorumq; & monstrorum signa
 atq; prodigia. Semper enim fieri solet, ut homines

Transitio ad
historiam.

Admonitio

B

subitis

subitis & improuisis malis, quorum similia neque
fando cognouerunt, neque experiundo sunt perpeſsi,
grauiter & uehementer percellantur. Itaque inter
Tragicas querelas, ſcimus eſſe hanc præcipuam, in-
auditas eſſe ærumnas, & noui atque ſingularis modi
mala, & atrocem calamitatem. Fit autem & hoc,
ut in perturbatione animi præſens infelicitas ampli-
ficetur deplorando & lamentando, hinc illæ ſunt
quiritationes,

ἄπ' ἰς ἄπ' ἰς α, καὶ νῶ καὶ νῶ δ' ἐρκομαι,

Et. ἄρ' ἔστ' ἀνώνομας, δαυμάτων πέρ' α.

Et huiusmodi alia, quibus Tragoedia refertæ ſunt,
quæque hoc loco congerenda non ſunt.

Cum autem noſtris temporibus & in noſtra gente
ea commota ſint, quorum acerbitas multos attigit,
& qui quaſi iſti fuerunt illi uociferando dolorem ſu-
um declararunt, tum factum eſt, ut uarij ſermones
exiſterent, alio ſe miſerum eſſe clamante, alio miſeran-
te propinquos, patriam, Rempub. uniuerſam, non
etiam nemine irascente & maledicente his aut illis,
pro eo atque autores aliqui uel cumulatores malorum
eſſe crederentur. Tali igitur rerum ſtatu & affecti-
one animorum, cogitanti mihi errare illi quidem uifi
fuerunt, qui uel ſe indigniſſime affligi putarent, uel le-
uitati impatientiæ indulgentes contumelijs inceſſe-
rent eos à quibus damnis eſſent affecti: Quid autem
conſilij & opis afferri his aliud poſſit non reperio,
quàm ut conſiderationis huius ratio demonſtretur.

Nam

Nam ea quæ legendo cognoscimus alijs temporibus ac locis accidisse, primum in communitate quadam sortis æqualis docent nos non iniquo animo ferre nostra incommoda, dum hoc quasi loquuntur, Non tibi istud soli. Deinde, si illa difficiliora atq; grauiora esse appareat, molestiam etiam minuere & dolorem cohercere solent, quod minus nos affligamur quàm alij afflicti fuerint. Notatio autem signorum, de quibus disputauimus, & liberalis curæ est & diligentia solertis, quæ utraq; est laus digna homine, non figura tantum oris, sed mentis etiam rationisq; præstantia. Euenta uerò cum metuuntur deterrima, ad hæc quidem perpetienda parati animis prudentes esse debent, Si quando autem tolerabiliora alijs existant, de formidine tunc ingente magni mali exitum leuiorem uideri, necesse est. Sed hæc omnia sunt ad usum proposita uniuersis nō uecordibus neq; stolidis. Multò autem preciosior & maior fructus à religiosis & pijs hinc percipitur. Qui admonentur iam diuinæ etiam tam prouidentia quàm gubernationis inexploratæ & admirabilis ingenio & sapientiæ hominum. In hoc enim Mundo diuinitus ita temperantur omnia, ut & ardua conuellantur, & humilia ac parua extollantur. Non fit autem hoc inuidia aut peruersitate aliqua, quæ in Deum cadere nequit, sed certo consilio & iusto decreto uicissitudinis præfinitæ, tam in transferendis delendisq; Imperijs, quàm hominum singulorum morte & interitu. In quæ

proteruè inquirere pietas uetat. Qui autem hac in parte curiositati frena laxantes religionem neglexerunt, ij in uarias ac multiplices quæstiones disputationesq; delati, hoc modo consecuti fuere, ut quæ studuerunt probare differendo, ea absurditas argumentorum ipsa conuinceret ac refutaret. Nos autem quibus in fide IESV CHRISTI patefacta est ueritas cœlestis, tam de Deo ipso quàm consilijs & uoluntate huius, non possumus ignorare causas ullorū euentuum in utranq; partem. Qui scimus & iustissimam iram Dei poenas exigere delictorum humanorum in impietate & petulantia, & eiusdem immensam misericordiam in animorum conuersione & obœdientiæ studio, uel auertere illas uel saltem mitigare. Non igitur consolationum modo utilitas de tali cognitione percipitur, sed ad signorum quæ euentus istiusmodi aliquando antecesserunt conspectum, pietas religiosa erigi etiam solet atq; excitari, tam ad spem salutis suæ quàm sollicitas preces. Neq; enim corripiantur & ueluti absorbentur istis tempestatibus illi qui fidem præstant Deo eumq; sanctè uenerantur, Et huius uitæ comoda ijdem tam sibi quàm alijs sæpenumero impetrant, & deprecando aduersa depellunt. Hi norunt quoq; & sciunt hanc esse quasi palæstram fidei in terris, ut in Mundi commotione, præsens cum intentant omnia lætū, & cum interitus ante oculos est, nihilo tamen minus Christianis, quod & habeant Deum propitium, & se huius
omnipos

ra Dei aduer.
sūs p̄ta.

m̄ia Dei erga
resipiscētes.

h. 21

vacuum piet
ficacia

omnipotente manu protectum iri in extremo discrimine, persuasum sit & certum. Rideant sanè hæc Porphyrij ac Iuliani. non enim humanæ intelligentiæ, sed doctrinæ diuinæ res est, nos tamen scimus, & conditum genus humanum, ut Deum æternum cognosceret atq; ueneraretur, & unicam esse tam scientiam quàm cultum eum cuius filius Dei λόγος ὡς εἰκὼν τοῦ πατρὸς, nuncius est & interpret. Quæ cum ita se habeant, totius Mundi creationem & omnium temporum atq; rerum ordinem ac progressionem illi æterni DEI consilio uoluntatiq; inservire oportet, ut quicquid fiat, id pijs & religiosis conuertat in bonum. Quod eò est euidentius, quia apparet omnes istos conatus qui cœlesti doctrinæ fuerunt aduersati unquam, hoc tantum profecisse, ut illa oppugnata magis confirmaretur & pressa exurgeret. quodq; de initijs neq; dignitate splendidis, neq; uiribus robustis, ad eximiam celebritatem & amplitudinem processit. Nulla in terris potentia, nulla calliditas, nullæ copiæ, hanc uel impedire crescentem, uel auctam retardare, uel incitatam pervertere potuerunt. Ac si quando laborauit & debilitata fuit, non accidit id hostibus ledentibus & urgentibus, sed ciuib; inter sese conflictantibus & sibi mutuo infestis. Quod & ipsum fieri interdum permittit DEVS, quo illustrior sit paucorum uirtus & constantia. Quæ cum patefacta diuinitus à pijs cognoscantur & promissionum fide apprehendantur,

prodest etiam rerum gestarum narrationibus celebrari, quæ sunt uel commemorationis manifesti auxilij diuini, uel occultioris protectionis in mundo, grassante rabie impietatis & scelerum. Non autem minus mirabile esse statuendum est, opponentem sese palam potentiam DEI, furori hominum aliquando hunc retundere, quàm sæpe dissimulantem uim suam, quasi clanculum eripere suos atq; liberare modo impendentibus malis, modo morti appropinquanti, & occulere ac custodire illos ne infestum odium & crudelitas immanis eorum qui in terris regnandi licentia abutuntur, nocere his possit. Tantum enim abest, ut Christianus coetus ulla uiolentia humana extingui possit unquam, ut sæpe eum iniuria aduersariorum, & tristitia euentuum ne attingat quidem, sæpe adoriens inuocatione religiosa refutetur atq; resiliat. Quod si est ueritas cœlestis, quemadmodum certè est, eadem omnibus sæculis, debent nimirum pii & religiosi similiter conseruationem sui sibi policeri in suæ quoq; ætatis periculis, sicut ante salutem ultimo in discrimine alios retinuisse compertum habent. Hæc sanè utilitas, quam consideratio & respectus tam signorum quàm euentuum confert, multò est præstantissima atq; uberrima. Alterum illud intuentem historias ueteres & præsentia mala cum prioribus conferentem, cum hoc perspicere mitius sæpe infortunium, uulgo intolerabilius uideri, tum de contemplatione conditionis humanæ, propria & sua

detria

tyranni;

ecce ta oppri.
mi no p

detrimenda ferre moderatius: etsi consolationem habet illud quidem leuem & instructionem ueluti popularem, neq; contemnendum tamen hoc etiam est, & ad pietatis ac religionis considerationem, afferre momenti aliquid poterit. Collegimus igitur quorundam temporum quibus traduntur Cometæ in cœlo uisi historiam ad eum usum de quo iam uerbose disseruimus, ut legentes hæc cogitent esse cursum rerum in hoc mundo talem, ut modo læta modo tristis modo interiecta quædam media fortuna commoueat: & cum se consolentur comparatione, tum spectata benignitatis diuinæ sustentent. id quod Christianorum proprium est. In promptu autem erat multò his plura congerere, cum de Græcis Latinisq; historijs, tum de nostratibus quoq; , sed in præsentia recitatio istorum quæ sequuntur, ad id efficiendum quod uolumus, satis copiosa uisa est. Cætera, qui uolet ipse conquiret, & suo studio hanc opellam industriæ nostræ locupletabit.

Ordinemur autem expositionem ab ijs quæ narrantur eo tempore afflixisse Græciam, quo ille Cometæ apparuit quem Aristoteles Magnum uocat, & in plaga occidentis primum eminuisse ait gelida & serena hieme, porrexisseq; fulgorem ad tertiam usq; partem cœli, quasi salientem, & appellatum fuisse Viam, ac cum peruenisset recedens à Sole ad Cingulum Orionis ibi euanuisse. Tum in Græcia Helice & mox Bura Achaicæ urbes terramotu & eluuione funditus

B 4

Helice & Bura
urbes terramotu
& eluuione aq̃ræ
extinctæ

Cometæ in
Si in cælo

cogitent
in hanc

Cometæ
magnum
gelida & serena
hieme

funditus extinctæ fuerunt. de quibus Naso,
 Si quæras Helicen & Buran Achaidas urbes,
 Inuenies sub aquis, & adhuc ostendere nautæ
 Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Sed hoc de Helices exitio Pausanias retulit, hanc
 & terræmo' u æquatam solo fuisse, & maris impetu
 obrutam, unâ cum incolis uniuersis. Buran autem
 in monte sitam & ipsam quidem tum euersam op-
 pressisse ciues omnes qui domi illo tempore fuissent,
 quosdam tamen qui militiæ aut aliarum rerum causa
 abessent, conseruatos, instaurasse deinde patriam.
 Itaq; huius ille mentionem facit, ut sua ætate cultæ at-
 que frequentis ciuibus. Hoc accidit Prætore Athe-
 nis Aristæo, anno quarto Olympiados centesimæ
 & primæ. In quod tempus incidit & Imperij Græ-
 carum ciuitatum finis, & Macedonum potentiæ ac
 regni in Asiam se porrigentis initium. Et Aegy-
 ptus dissidio Regum bellisq; intestinis afflictæ atque
 debilitata denuo Persarum potestati & ditioni sub-
 iectæ fuit. Nam Nectanabis cum Agesilai ope Ta-
 chon expulisset, ipse postea ab Ocho spoliatus regno
 exul mortem obiit. Sed harum rerum historiam su-
 mus alibi persecuti. Aristoteles meminit alterius quo-
 que Cometæ, qui apparuerit cum Prætor esset Athe-
 nis Eucles. Quod tempus non possum indicare, ni-
 hil enim ad nos eorum scriptorum peruenit, quibus
 & ab alijs & postremo ab Apollodoro successiones
 Prætorum Athenis explicatæ sunt. In consideratio-
 ne autem

Cometæ 2^a di-
 apparitio

ne autem eorum quæ supra retulimus, potissimum
 mihi in animo fuere, illa tempora, quibus non una ci-
uitas aut populus, aut pars terrarum, sed uniuersus
mundus commotus, & omnia regna dissipata con-
uulsaq; sunt, propius accedente die illo, qui æterno
 consilio DEI statutus fuerat, ad absoluendum opus
reconciliandæ gratiæ inter DEVM & homines,
 & liberandi genus nostrum, ab omnibus ijs malis, in
 quæ per contumaciæ peccatum erat prolapsus, quo-
 rum esset atrocissimum & extremum Mortis interi-
tus sempiternæ. Is dies fuit natalis IESV CHRI-
 STI filij DEI & uirginis Mariæ, ut uerissimile fiat
 illorum temporum homines religiosos & pios non
 leuiter de eo quod futurum esse credi oporteret, se-
 cum luctatos fuisse, cum ea & parari geriq; & eue-
 nire cernerent, de quibus certissima uastitas orbis ter-
rarum, & exterminatio gentium atq; nationum me-
tuenda esset, nedum instauratio & incolumitas spe-
raretur. Viderunt ruere imperia, perdi ciuitates,
dirui urbes, gentes nationesq; totas deleri. Expedi-
 tum esse ferrum & ignem ad publicas priuatasq; cæ-
des, populationes, clades, ruinas. Nihil esse præsidij
innocentiæ, Improbitalatem & uiolentiam armatam,
 non aliter ac tempestatem omnia passim loca hor-
 ribilibus calamitatibus peruadere. Et retinenda ta-
 men fides fuit, debita cœlestibus promissionibus ope-
ris salutaris, cuius effectio propria erat filij DEI,
 tum demersuri sese in carnem humanam, ut homo
 nascere-

Hug.

natalis
Christifides in pro-
missionibus Dei
constans

nasceretur in terris, ad generis nostri liberationem
 ac salutem. Fuit difficile in hac persuasione consi-
stere. Non enim facilis neq; uulgaris res est, neque
quæ contingat omnibus, Fides. Sed religiosi atque
 pij constiterunt certè, & contra spem spe nisi, id ex-
 hibiturum esse crediderunt DEVM quod polici-
tus fuerat. Id cum iam factum esse constet, multò sci-
 licet nostra conditio melior est, quibus tanta admini-
 cula fidei suppeditant, ut refragantium coelesti ueri-
 tati & prodentium fidem, iam deinceps caussam
 quoq; difficiliorem & deteriore fore necesse sit.
 A multis autem memoriae mandatum est, illa etate
 multos uel plurimos potius fulgores Cometarum,
 inter alia innumerabilia prodigia, quæ coelo, terra,
 mariq; extiterunt, uisos esse. id quod & à Marone
 indicatur, qui non aliàs ait, diros toties fulsisse Co-
metas. Sed quemadmodum ante magnas & graues
 tempestates, murmura quædam audiuntur, Ita illam
pestem, quæ tum orbem terrarum corripuit, sane fra-
 gores uehementes, & significationes tristes præcesse-
runt, Sullanæ inquam dilacerationes & furores,
 quos secuta excepit contentio & rabies Pompeij ac
Cæsaris fatalis Reipublicæ illius & exitiosa imperio
populi Romani. Nunciata tum fuere prodigia di-
 uersi generis plurima, ut scripsit Plutarchus. Nam
 & flammis signa fulserunt quæ uix potuerunt restin-
 gui Et aduolarunt corui tres cum pullis, quos cum
 in conspectu exercitus laniassent & frustra quædam
 deuor-

Fides difficilis
 Theof. 3

in ex. 1. 1. 1.

Cometa

Virgil.

deuorassent, reliquias in nidos abstulerunt. In templo autem cum aurum sacrum mures arrosissent, unam editimi ceperunt, quæ capta quinque musculos peperit & ex eis tres deuorauit. Quod autem maxime admirabile uisum, cœlo sereno, sonus tubarum auditus est, clarus & lugubris, ut omnes metu exanimarentur. Tyrreni tum uates, ætatem nouam alterumq; saeculum appropinquare atq; impendere, & mutationem mundi portendi pronunciarunt. Fuit autem Sulla neq; turbulentus neq; crudelis minus quàm alius quisquam principatum armis adeptus. Cæsar quidem etiam clementiæ & mansuetudinis laudem obtinuit, ignoscendo & parcendo parti aduersæ & uictis. Sed Sulla ciuitati suæ tanquam fera bestia immissus, cum hanc omni genere immanitatis conscidisset, & summa rerum fuit potitus, & primus Romanorum Tyrannus, sicca, ut dicitur, morte, decessit natus annos LX. cui omnia quæ unquam in uita sua aggressus est & incepit, prosperè successerunt, & finem habuere felicem. Si felicitas est, contingere alicui quicquid expetiuit, quemadmodum cenet Antigona Sophoclis, hac sententia, ut nos sumus interpretati,

Multis Tyrannis alijs felix rebus est,

Et facere huic quicquid omnium libuit, licet.

Etsi his uersibus felicitas angustior & quasi restrictior quædam memoratur. Quæ hanc potestatem tantum tribuit regno, ut eo potienti facere liceat
quod

Sulla

Cæsar

Sulla

felicitas tyrannorum

Tyrannis felix

quod libeat. Illa uerò Sullana, & secundos ueluti uen-
 tos habuit fortunæ, quibus omnia quæ ausus Sulla es-
 set facere, prouerberentur ad speratos exitus. Non
 facinus nefarium tardauit cogitationes ipsius, non hæ-
 sit conatus in scelestâ actione, nunquam animus im-
 pia fraude concipiendâ instruendâq; dubitauit. Di-
 uina humanaq; omnia seruire libidini unius hominis
 coacta, Felicis cognomen ipsi pepererunt. Qui
 ἐπαφρόδιτον Græcis scribens se appellaret, ut re-
 tulit Plutarchus, quasi uenustum dicas, & fauore atq;
 gratia præditum. Cum ille fuerit & in hostes sæuis-
simus, & erga ciues insolentissimus. Amicis quoq;
 & necessarijs leuiter offensus asper atq; immitis. neq;
ferre aduersantes sententiæ ac uoluntati suæ, & utilia
monitorum præcepta periniquo animo admittere &
pati. Quomodo tyrannides inprimis cum confir-
 mantur & crescunt, tum ualidæ & robustæ, ciuibus
sunt acerbæ & graues. Sed eadem prauitas omni-
 bus ferè exitio etiam esse solet. Non enim sæpe effu-
 git iniusta potentia & uiolentum regnum, pœnas
 quas oppressores ciuium & immansueti domini in-
 terdum persoluunt atroces. Neq; plures à Græcis
 numerantur quàm tres tyrannides transmissæ ad su-
 am posteritatem. Cum innumerabiles, ijs qui tenue-
 runt mortem exitiumq; aut certè exilium attulerint.
 Sed durauisse traduntur ad nepotes, Gelonis in Sici-
 lia, Corinthi Cypselidarum, & in Bosporo Leucani-
 orum dominatus. Atq; fertur Dionysius Dionysij F.
 aliquan-

Sulla

Sulla

tyrannides
 tres ap. Græc.
 cos numerat

Dionysius

aliquando dixisse, iam ille quidem e Tyranno exul,
 & e superbo humilis factus. In Tyrannide esse plus
 mali quam fando explicari posset. Sed unum omni-
 um deterrimum atq; pestilentissimum, quod neq; fer-
 rent Tyranni liberam orationem suorum, neq; fami-
 liares Tyrannorum illa uti auderent. Ita fieri ut ob-
 sequendo & assentando Tyrannica peruersitas atq;
 pernicies aleretur, & deinde coeca rueret in omne
 nefas, scelera, flagitia, turpitudinem, donec in interi-
tum tandem deferretur. Et quidam ex ueteribus re-
 gibus, cum quodam tempore aberrasset a suis, & ad
rusticum quendam ignotus diuertisset, Ibi primum
 se dixit, de sua gubernatione ueri quiddam audiuisse.
 Sed redeat expositio ad Sullam. Hic est Sulla, qui
 instituit subscribi edicto eorum nomina, quos e medio
 tollendos esse decreuisset, ascriptis premijs quae in-
tersectoribus & indicibus persoluerentur, cum inter-
 minatione supplicij, quod sustinerent uel caelantes uel
subleuantes proscriptos. Terribilis fuit immanitas sae-
 uitiae istius, & ipsa crudelitate & nouitate uiolentiae.
 Cum neq; caussa cuiusquam cognosceretur, & for-
 tuito impetu nefariaq; libidine uictoris corripere-
 tur atq; trucidarentur quilibet. Nam neq; genus
 atq; conditio hominum certa, neq; numerus definitus
 erat eorum qui proscribebantur, ut metus quidem
 impenderet uniuersis, clades autem modo hos modo
 illos corripere. Quorum alij de improviso iugula-
bantur ubi comprehensus quisq; esset, domi forisue,
 in regi-

Sulla im-
 manitas
 Sicilia.

AB

in regionibus aut angiporis urbis, in foro, in templis. nullus enim locus sanctus erat, aut perfugium tutum habebat. Quin etiam aliqui abijcientes se ad pedes Sullæ, ibi ipso præsidente conculcabantur & interimebantur, multitudine ita consternata, ut ne uocem quidem emittere doloris aut miserationis auderent. Qui uerò fuga se præsenti morti subduxissent, ij tota Italia discurrentibus centurionibus ad cædem conquirebantur. Neq; pauciores tum tam in prælijs cecidisse, quàm postea occisos esse traditur, milibus centum, ciuium Romanorum. Cum quidem superioribus annis & Asia magna ex parte & Græcia tota perdita & euersa fuisset, Athenis potissimum grauissimè afflictis, nulla in re iniuriam & uim suam Sulla uictore abstinente, hoc uno excepto quod urbem solo non æquauit. Ita egregius Imperator ultus fuisse perhibetur iocos quorundam & dicta in coniugem suam Metellam. Post Sullanas Reipub. dissipationes, Catilinariæ coniurationis nefarius conatus, non magno negotio sed industria singulari M. Cicero nis repressus fuit. Hunc acerrima contentio & cruentum certamen de principatu inter C. Cæsarem & Cn. Pompeium secutum, ciuitatem Romanam ante labefactatam & inclinatam deiecit & euerit. Nam ea magnitudo & tanta moles rerum fuit, ut primo impetu moueri aut una aggressione cõuelli non posset. Itaq; diu ac multum allisa & secum ipsa conflata tandem mutato pristino statu ad regni formam potens

Catilinaria
coniuratio

potentissimi illius quidem, sed simul etiam superbissimi atq; insolentissimi redacta fuit. Quod tempus est conspirationis trium uirorum post occisum C. Cæsarem, ad Rempub. uerbo quidem constituendam et ordinandam, re autem ipsa funditus euertendam atq; dissipandam. Quo, ut propositum erat, quid præcipuæ calamitatis perpeßus sit orbis terrarum, et uariæ fortunæ hominum exempla aliquot sumus deinceps commemoraturi. Vnde poterit intelligi, ab irato quidem DEO multiplices interitus immit-
ti generi humano, quorum euentus fortuitos esse non
modo aliqui suspicantur, sed sunt etiam qui differen-
do probare nitantur. Ex eoq; hoc factum est, Lu-
dit in humanis diuina potentia rebus. Sed nos, ut su-
pra dictum est, hac in parte doctrina cœlesti institu-
ti, ueritatem non ignoramus. Inter tristia autem et
aduersa et mala, ut sunt damna tempestatum, nau-
fragij, incendiorum, rapinarum, furtorum, quæ facul-
tates comminuunt et frangunt, et morbi, pestilen-
tiæ, uenena, ictus morsusq; bestiarum, quæ corpora
lædunt atq; interimunt, hinc quoq; cognoscere lice-
bit, nihil esse deterius neq; nocentius impetu et uio-
lencia hominum, in bellis et seditionibus, quo non
modo fortunæ, sed uita etiam eripitur, et cum ciuita-
tes totæ, tum populi sæpe et nationes delentur, ut
oblitum hominem societatis generis sui et iuris com-
munis, et hostiliter affectum erga alios, perniciosis-
simam et maxime exitialem et atrocissimam pestem
esse

vrsus

NB

esse appareat. Sed nunc deinceps narratio procedat & Lectori hæc atq; his similia cogitanda relinquantur. Cum igitur Octavius filia sororis C. Cæsaris natus & adoptione ipsius filius, priuignus Philippi, uaria fortuna usus, & deceptis simulatione beneuolentiæ cum alijs tum M. Cicerone, & reliquijs Reipub. debilitatis, cum M. Antonio, & Lepido tandem se coniunxisset, omnia tum repente mutata fuerunt, tam in urbe Roma quàm Italia tota, uniuersis copijs Cæsarianis per illorum consensionem in corpus exercitus unius collectis atq; conflatis. Fuerat iam tum & Trebonius Smyrnæ trucidatus iussu Dolobellæ, & Decimus Brutus Albinus, uel, secundum Dionem, compræhensus muliebri animo mortem obierat, uel, ut Appianus scripsit, desertus à suis cum ad quendam Gallorum regulum nomine Camillum, (quem alij natione Sequanum, Capenum uocant) confugisset, proditus ab hoc pariter interierat; Antonio mandante, qui quidem ium humaniorem aliquanto se præbuisset quàm Dolobella. Hic enim, uel ut Cicero ait, excruciatum Trebonium occidit, uel certè necatum contumelijs affici passus fuit, Antonius uerò in illa mutatione fortunæ inopinata, neq; aspicere sustinuit Decimum, & caput illius ad se missum humani iussit. His igitur duobus ex eorum numero qui C. Cæsarem trucidauerant, è medio sublatis, ingens belli moles restabat, à Cassio & Bruto, qui principes fuerant consilij de morte Cæsaris, Et potiebantur longis-

Cassius &
Brutus.

longissimarum terrarum ac maris tractu, à Syria ad Macedoniam usq;. Exercitusq; habebant magnos tam pedestres quàm equestres, & classes numero ac instructione nauium formidabiles. neq; pecunia deerat. Legiones quidem sub signis ducebant uiginti. Quanquam autem ista adhuc pericula impenderent Cæsarianis, Tantus tamen furor & ea confidentia partium fuit, ut rebus omnibus suspensis ac dubijs, in contrariæ factionis ciues interea cædibus, & in patriam direptionibus crudelissimè seuirent atq; grassarentur. Imitantes illi quidem Sullanæ proscripti-
onis, de qua supra dictum est, immanitatem. Cæsar tum Octavianus cum Antonio in gratiam redijt, & ad persequendos interfectores patris conspirauit. Congressi autem primum fuere in insula fluuij ad Bononiam parua & humili. Renum autem nomi-
nant Bononiæ amnem, cum Appianus Mutinæ & Labieni fluminis fecerit mentionem, contra omnium aliorum narrationes. Neuter alteri adhuc confide-
bat. Itaq; utriusq; exercitus instructus, & ad con-
fligendum paratus astitit. Ipsi cum trecentis singu-
li ad pontes fluuij processere. Affuit tum Lepi-
dus, atque is præmissus explorauit in Insula omnia,
cumq; tuta reperisset, signum dedit iactatione Chla-
mydis, quo uiso uterq; ad pontes fluuij accessit, ibiq;
trecentis illis relictis tanquam custodibus, ita in me-
dium processerunt & consederunt, ut in suorum un-
diqu; essent conspectu. Cæsar inter Antonium &

C

Lepidum

Lepidus

Lepidum affedit, quod esset Consul. Duobus diebus
 ab ortu Solis ad occasum cum essent collocuti tan-
 dem conuenit: Vt consulatu se Cæsar abdicaret sur-
rogato sibi in reliquum anni tempus Ventidio. Le-
 ge autem decerni ipsis tribus nouum imperium pla-
cuit, consulari potestate ad annos V. Nam Dicta-
toris nomen usurpandum non putarunt, uel quod
 tres Dictatores esse non possent, uel quod Antonius
 legem tulisset qua Dictatorem, deinde dici prohibe-
retur. Quod ad magistratus annuos attineret, ho-
 rum designationem ad annos V. sibi reseruarunt.
 Prouincias partiti fuerunt hoc modo. Gallia tota
 tributa Antonio. Lepido Pyrenæi & Hispania.
 Cæsari Africa, Sicilia, Sardinia & cæteræ Insulæ.
 Cum Cassio & Bruto bellum gerendum sumserunt
 Antonius & Cæsar. Lepido Consule designato in
annum sequentem ut Urbis & Italiæ custos ipsis ab-
sentibus remaneret. Itaq; in Hispaniam Proconsu-
 lem alterum mittendum esse statuerunt. De exerci-
 tu Lepidi, Legiones tres relictæ ipsi, quatuor tradi-
 tæ Antonio, tres Cæsari. Exercitum autem censue-
 runt cum alijs polictis de felicitate uictoriæ confir-
mandum, tum diuisionis agrorum, Quæ ut esset ad
 spem præclara & magnifica decem & octo ciuitates
nominatim militibus promissæ fuerunt, quæ profliga-
 tis hostibus tanquam ui captæ ipsis addicerentur.
 Ex his præcipuæ & opulentissimæ fuere, Capua,
 Regium, Venusia, Beneuentum, Nuceria, Ariminū,
 Hippo.

Hippo. Visum etiam fuit inimicos è medio tollere, ne uel præsens uel absentibus & externo bello occupatis negocium facerent. Horum syngrapham omnium recitauit Cæsar, excepta mentione proscriptionis, acclamante exercitu qui mirificè lætaretur concordia illa. Prodigia tum multa nuntiata fuerunt, sed hæc imprimis. Canum obsceni latratus. Lupi in urbe uisi. Bouem etiam ferebatur locutam & infantem modo natum, quædam uerba pronunxiasse. Statuas sudasse & sanguinolentas uisas. Fremitus & fragores auditos hominum & equorum nemine apparente. Signa etiam in Sole esse conspecta tetra, inq; his tres Soles apparuisse paulatim coeuntes in unum. & lapidibus pluuisse, & crebra cecidisse fulmina, taclis templis & simulacris. Quæ Senatus decreto procurari coepta, & consulti Aruspices fuerunt. Quorum natus maximus respondisse fertur, Regnum rursum ut olim Romæ futurum esse, & seruituros omnes præter se. atq; ita, quod ipsum quoque portentosum habitum, represso spiritu & clausso ore eum expirauisse. Post hæc congressi illi tres uiri, perscripserunt nomina eorum quos interfici oporteret, uel à potentia & autoritate suspectos, uel odio inuisos. Permutarunt autem suos etiam amicos & propinquos cum inimicis, concedentes alijs alios, non in illa prima proscriptione tantum, sed postea etiam. Nam adiecti aliqui semper deinceps fuerant prioribus, uel qui inimici essent, uel amicorum

prodigia

23

aduersarij uel aduersariorum amici, uel saltem diuitijs abundantes. Quod ad tantas res gerendas quantæ erant in manibus indigerent pecunia, uetigalibus Asiæ iam arreptis à Cassio & Bruto, quibus & Reges tributa conferrent, cum Europa & potissimum Italia exactionibus esset exhausta, Itaq; & plebi & sexui muliebri imposuerunt grauissima onera pensionum cum rerum uenalium nomine tum alijs innumerabilibus. Quin etiam compertum fuit, proscriptionis alicui causam fuisse elegantem uillam, aut domum præclaram, aut amœnos hortos. Numerus uniuersorum proscriptorum & electorum fuit Senatorum circiter CCC. Equitum circiter bis mille. In his fuere & fratres & cognati tam ipsorum triumuirorum, quàm eorum qui in exercitu principes erant, qui ex his aliquem fortè offendissent. Atque hanc turbam profecti Romam proscripturos se esse constituerant, sed tum præ cæteris statim obtruncari uoluerunt certos quosdam quibus essent maxime inensi numero XVII. interq; hos M. Ciceronem. Ex his quatuor repente occisis, alijs inter epulas alijs obuiam progressis, cumq; reliqui omnibus in locis quærerentur, tam sacrarum quàm profanarum ædium, tumultus horribilis excitari, & nemine designato, unusquisque se quæri metuere, deq; salute & uita simul desperare uniuersi. qua in trepidatione erant pleriq; qui animis efferatis iam aliquid conari & facere inciperent, priusquam ipsi paterentur, & in cendia

cendia atq; cædes struerent, & omnino aliquid actū
 fuisset, nisi Pedius Cos. apud quem testamentum C.
Julij Cæsaris depositum fuerat, nocte illa tota discurs-
 risset & præconia fieri curasset, quibus monerentur
 omnes, ne in se prius quisquam durius aliquid consu-
leret, quàm palàm fieret quid sperandum metuen-
 dumue esset cuiq; id quod secutura statim die cogno-
 sci posset. Atq; ita quidem ille motus repressus fuit,
 Pedius autem XVII. nomina proscripsit tanquam
autorum ciuiliū bellorum & certam spem fecit
 omnibus, non esse ulterius animadversionem proces-
 suram, ignarus ^{na} commentorum inter tres uiros. Sed
 Pedio cum labor & defatigatio illius noctis uitam
 ademisset, intrauerunt urbem tres uiri tribus diebus
 continuis, singulis singuli, cum cohorte prætoria-
 na & legione una. Dispositoq; exercitu locis op-
 portunis & signis fixis, in medio armatorum comi-
 tia habita fuerunt, & P. Titius Trib. plebis legem
 tulit ad populum, de imperio nouo triumuirorum,
 quod illis decerneretur consulari potestate ad quin-
 quennium, constituendæ Reipub. gratia. Hæc lex
 neq; promulgata antè more maiorum, neq; suffragi-
 orum die præstituta, ita tum perlata sancitaq; fuit.
 Ac nocte secuta proscripio in locis Urbis diuersis
 edita aliorum centum triginta illustrium uiro-
 rum, & paulò post aliorum centum quinquaginta. neq;
 non additio aliqua indies fiebat, ut opinio esset prius
 proscriptis iniuriam non factam, neq; temere quic-
 quam

pedius Cos.

pedius

lex p^{ri}mi
 gata de no
 uo impio
 Trium-
 uorum

quam aut re inconsiderata gestum esse. Iubebantur autem interfectores capita cæſorum mercede certa proposita ad Tres uiros deferre. Merces erat libero pecunia, Seruo insuper & libertas. Cogebanturq; pati omnes ut ædes explorarentur, quiq; aduersaretur, aut cælaret proscriptum, is eadem pœna tenebatur. Proscriptionis exemplum tale fuisse accepimus. M. Lepidus, M. Antonius, Octavius Cæſar, Tres ad constituendam & ordinandam Rempub. Viri, edictum proposuerunt. Nisi in perfidia improbi ope aliena indigentes miserabiles uideri uellent, subleuati autem pro beneficijs odium & insidias rependerent, Neq; ij C. Cæſarem interfecissent, quos iure belli captos, motus ille misericordia conseruarat, & amicorum loco habuerat, & affectos maximis muneribus, ad imperia honoresq; euexerat: neq; nobis necessitas offerretur ut hoc pacto nos gereremus erga omnes simul qui nos per contumeliam hostes iudicarunt. Cum uerò intelligamus tantam esse hominum malitiam, ut nulla humanitatis mansuetudine, quicquam profici posse uideatur, edocti & C. Cæſaris casu, & insidijs quibus nos sumus petiti, optimum esse statuimus inimicorum conatus occupare, priusquam circumuenti euertamur. Quocirca nemo hoc factum ut iniustum aut crudele aut immane accusare debet, intuens ea quæ & C. Cæſar, & nos pertulimus. Nam Caium, qui Imperator esset Pop. Rom. & Pontifex, & qui terribiles domuisset imperioq;

perioq; Romano subiugasset gentes, & primum mare extra Herculis columnas innauigabile antea creditum, ingressum, & ignotarum terrarum inuentorem, cum igitur in medio sacro sancti Senatus consessu, & Deorum immortalium conspectu obtruncarunt, confossum uulneribus XXIII. illi quibus bello in suam potestatem redactis uitam ipse concesserat, & inter quos fuerant haeredes aliqui bonorum ipsius testamento scripti. Cæteri perpetrato scelere, paricidas non modo non affecerunt supplicijs, sed impéria & exercitus his attribuerunt, Quorum adiuumento illi profecti cum uectigalia populi Romani corripunt, tum copias aduersum nos comparant. Quin etiam à Barbaris hostibus Romani nominis auxilia accersunt, & ciuitates subditas imperio Pop. Rom. partim resistentes populantur, ferroq; & igne uastant, aut diripiunt, partim terrore oblato adducunt contra patriam & nos ipsos. Horum iam unus & alter meritum supplicium dedit, reliquos, Dijs adiutoribus, breui daturos esse cernetis. Cum autem iam maximæ res peractæ nobis sint, cumq; teneamus Hispanias & Gallias & Italiam totam, unum restat adhuc negocium, ut Interfectores Caij ultra mare bello persequamur. Bellum igitur cum simus pro uobis externum gesturi, In hoc certamine tam uestris quàm nostris rebus neutiquam consultum fuerit, aliquos relinqui à tergo hostes qui immineant nobis absentibus, quiq; aucupentur temporum occasiones quibus

contra nos utantur. Istorum autem caussa haud con-
tari potius & tantas res differre oporteat, quàm si-
mul e medio illos remoueri uniuersos, cum ipsi qui-
dem autores sint belli aduersum nos, quippe qui tam
nos quàm exercitus nostros decretis suis hostes iudi-
cauerunt. Atq; illi tot milia nobis ciuium intereme-
runt, neq; Deos reueriti, neq; hominum odio moti.
Sed nos neq; multitudini iratos nos ostendemus, neq;
supplicium de uniuersis inimicis sumemus qui uel ad-
uersati uel etiam insidiati nobis fuerunt, neq; diui-
tias, opes, dignitatem arripiemus, neq; imitabimur
Imperatorem superioris temporis à quo plurimi
morte multati sunt, cum eodem ille modo quo nos
Rempub. bello intestino constitueret, quem Felicem
appellastis propter rerum gestarum prosperos euen-
tus, tametsi enim necesse sit plures reperiri inimicos
trium quàm unius. Nos tamen iniurias ulciscemur
in solis ijs quos & deterrimos & omnium malorum
autores esse arbitramur, idq; non tam nostra quàm
uestra caussa. Necesse enim est durante contentione
dissidij, uos in medio atrociter affligi. Par etiam est
consolationis aliquid militibus nostris conciliari iri-
tatis contumelia inimicorum communium à quibus
illi hostes iudicati fuerunt. Quamuis autem posse-
mus pro nostro arbitrio inuadere quoslibet, satius
tamen esse putauimus proscriptos potius quàm igna-
ros aggredi, idq; uestra caussa, ne ira militum etiam
in insontes fortè grassaretur, qui cum certum & de-
finitum

finitem numerũ habituri sint nominum, ab alijs iussu nostro abstinere manus uiolentas cogentur. Quod igitur felix faustumq; sit, eorum quorum huic edicto nomina subscripta sunt, Neminem quisquã ad se recipiat, neue cælet, aliquõue ableget, neu pecunia se, ut adiuuet, corrumpi sinat. Qui indicatus fuerit conseruasse aut subleuasse aliquem, aut conscius esse, eum omni defensione & uenia negata, inter proscriptos & ipsum referimus. Volumus autem capita cæso-
rum ad nos deferri ab intersectoribus, & præmia persolui, libero C. Sestertia, seruo libertatem & Sestertia quadraginta, & successionem in locum domi-
ni. Eadem præmia & indicibus tribuentur. Neq; ullius nomen in acta referetur, ne cognoscantur. Tale quoddam edictum proscriptionis illius propositum fuisse perhibetur. Prima autem proscriptio Lepidi fuit, & primus proscriptorum frater Lepidi, Paulus. Secunda Antonij, & secundus proscriptorum auunculus huius Lucius, quod hostes primum sententijs horum iudicati essent. Sed utrunque conseruatum fuisse Dion scripsit, cum Paulo fratri Lepidus concessisset ut exularet Miletì, & Iulia mater Antonij Lucio fratri uitam à filio impetrasset. In alteris tabulis, (duæ enim tum fuerunt propositæ, una in qua essent scripta Senatorum nomina, altera in qua cæterorum.) In his igitur alteris tertio & quarto loco proscripti legebantur, Plotius frater Planci Cos. Des. & Quintus socer Asinij. Neq; ideo so-

C 5 lum

lum alijs isti propositi fuere quod dignitate & honoribus excellerent, Sed ad terrorem potius omnium, ne quis sperare auderet se eripi impendenti periculo posse, cum talibus uiris non parci uideret. Fuit inter proscriptos & Turanius, quem tutelam gessisse Cæsaris Octauiani ferebatur. Simul autem tabulis proscriptionum propositis, occupari portæ Urbis, & ea loca qua egressio pateret, Itemq; portus & paludes, & quicquid loci fugæ occultationisue opportunitatem habere existimabatur. Centuriones autem iussi, ubiq; discurrentes uestigare & scrutari omnia. Quæ cuncta cum uno momento fierent tristissima illa rerum in Vrbe & tota Italia facies fuit, ut quisque subito ad cædem rapiebatur aut iugulabatur. Nam & repentine comprehensiones & multiplices interfectiones fieri, & capita deferri sublata ut conspicerentur, & trepidatio esse ingens, & fuga turpis, & obliuio dignitatis pristinae. Nam fuere qui in puteos desilirent, aut in latrinas correperent, aut in furnis & subter tegulas atque imbrices sese occultarent, ibiq; cum profundissimo silentio residerent. Neque minus quam ipsos percussores plerique metuebant, uel uxores iratas, uel offensos liberos, uel etiam libertos ac seruos, uel eos quibus mutuam pecuniam dederant, uel uicinos cupidos prediorum suorum. Tum enim tecta ante odia libere undiq; erumpebant, & mirifica commutatio fortunæ erat, cum Senatores, Consulares

lares, Prætorij, Tribunitij uiri, & illorum hono-
rum petitores, se ad pedes seruorum suorum cum la-
mentis abijcerent, & ab his tanquam à dominis ui-
tam salutemq; peterent. Sed maxime erat miserabi-
le, si perpeſſi ignominiam istam repellerentur neque
exorarent domini seruos. Cumq; ante oculos om-
nium generum mala essent, tamen alia forma hæc erat
calamitatis quam esse conſuevit, seditionum inter ci-
ues aut hostium externorum impressionis. Non
enim tum contraria factio aut hostis formidabatur
& perfugium domesticum quærebatur, Sed suos >>
quisque peius ipsis percussoribus pertimescebat, qui >>
ipsi quidem metu liberi, pro familiaribus fierent ho-
stes, uel exulceratis pridem animis & odio tum erum-
pente, uel præmiorum spe ipsos incitante ad facinus,
uel etiam auri argentiq; cupiditate in domo locuple-
te. Nam ob hæc pleriq; infideles suis fuerunt, oc-
casionem præsentis lucri omnem misericordie sensum
opprimente. Beneuolentes autem & fideles, si qui
reperirentur, eos deterrebat acerbitas poenæ, quo-
minus succurrere suis, aut celare, aut consciij esse au-
derent. Atq; in contrarium tunc conuerti euentus
prioris formidinis de illis XVII. Nam quod tum
nominatim nemo proscriptus esset, sed subito aliqui
corriperentur, metus inuaserat uniuersos, itaq; con-
iungi & parare illi sese ad opem auxiliumq; sibi fe-
rendum. Publicata autem proscriptione, alij statim
prodebantur & deserebantur penitus, alij metu pro-
prio

prio soluti, atq; etiam spe emolumentorum inuitati, indagabant proscriptos conducti à percussoribus, Cætera uerò multitudo non eodem modo animata erat. Leuiiores enim domos eorum qui interficiebantur, diripere & illo commodo ad probandas proscriptiones allici. Honestiores autem diligente in consideratione percelli animis & obstupescere, cum admirabile uideretur cogitantibus, alias ciuitates à se, ditionibus pessundatas, & concordia conseruatas fuisse, Suam uerò principum dissensione euersam, in concordia tanta mala perpeti. Moriebantur autem alij pugnantes cum percussoribus pro uita sua, alij his neutiquam resistentes, quod scirent non illos sibi necis autores esse, sed Triumuirorum acerbilitatem. Fuere qui abstinerent à cibo, & fame sua uoluntate consumerentur. Fuere qui laqueo finirent uitam, aut abijcerent se in mare & fluuios, aut præcipites darent de tectis, aut insilirent in ignes, aut præberent ceruicem percussoribus, aut hos etiam cessantes accerferent. Alij turpiter abscondi, aut supplices fieri, aut pecuniam policeri percussoribus, & quauis ratione moram nectere, & retardare instantem mortem. Non etiam nulli contra uoluntatem Triumuirorum cæsi fuerunt, uel per errorem uel per insidias. Erat autem interemti signum proscriptum eum nō fuisse, si caput ad corporis truncum apponeretur. Nam proscriptorum capita pro rostris collocabantur, ubi & præmia percussoribus per-

persoluebantur. Neq; erat inferius studium singularis uirtutis quorundam, liberum, coniugum, fratrum, seruorum, conseruandi suos, & omnia ad salutem illorum tentandi, quorum aliqui etiam ipsi mori unà cum suis aduersante fortuna conatibus, uoluerunt, alij illis cæsis sibi mortem insuper consciuerunt. Ex ijs uerò qui præsentem interitum uitauissent, quidam nauibus fractis in mari perierunt, undiq; grauante eos fortuna, quidam postea mirabiliter reuocati & honores consecuti sunt & præfecti exercitiis, cum bella gesserunt tum deuictis hostibus triumpharunt. Ita tempus scilicet illud quasi ostentationis fuit, euentuum incredibilium & inopinatorum, primus ex ijs qui magistratus tum gerebant, necatus fuit Saluius Trib. pl. quem Magistratum legibus olim sacrosanctum fuisse scimus, & potestate ea præditum, ut Consules etiam in carcerem duci iuberent. Hic Saluius acerrimè aliquando aduersatus censentibus hostem appellandum Antonium, postea per omnia Ciceronis uoluntati inseruiit. Atq; tum cognita conspiratione & aduentu Triumuirorum, amicos & familiares adcoenam inuitauit, cum significatione se non sepe deinceps cum ipsis futurum. Irrumpentibus autem militibus, plariq; conuiuiarum exilire & tumultuari, Centurio uerò, quiescere iussis omnibus, arripuit capillo Saluium, & in mensam protractum quàm longè protracto ad plagam opus erat, caput illius amputauit, cæteris silentio cum in-

Saluius

termina

terminatione similis supplicij indicto. Itaque reli-
 quam illi noctem inter funestas ad cadauer Tribuni
 plebis epulas taciturni & exanimes mctu accubue-
 runt. Post hunc Prætor Minutius cum haberet in
 foro Comitia, audita fama aduentus militum, exilire
 statim & huc illuc circumcursare & quærere secum
 ubi latere posset. Interea cum ministros & licto-
 res dimitteret, neq; illi celeriter discederent retinen-
 te & misericordia & pudore, ita in officinam quan-
 dam illapsam facile milites peruestigarunt. Alter
 Prætor Annalis, qui præhensaret pro filio petente
 Quæsturam suffragaturos, ab amicis & lictoribus
 qui cognouissent in tabulis nomen ipsius ascriptum
 esse, desertus, confugit in domum clientis sub urbe
 parvam & ignotam. ubi cum in tuto esset, filius su-
 spicatus id quod erat, patrem illud perfugium quæ-
 sisse, adduxit milites, qui ipsum interfecerunt. Fi-
 lius autem & ædilitatem à Tribus uiris & possessio-
 nem bonorum paternorum adeptus, cum aliquando
 rediens à cœna ebrius fortè in eos milites quibus du-
 ctor ad cædem paternam fuerat, incurrisset, iurgiis
 ortis ab illis fuit interfectus. Turanius Præturam
 gesserat. Is habebat filium adolescentem luxu il-
 lum quidem perditum, sed qui multum apud Anto-
 nium ualeret. Hic ab irruentibus militibus petijt ut
 cædem differrent donec filius pro se apud Antonium
 deprecaretur. At illi ridentes, Quin deprecatus
 fuit ille, inquiunt, sed contra ac tu arbitraris. Tum
 senex

Minutius
prætor

Annalis
prætor

et

Turanius

senex re intellecta impetrauit ut filiam alloqui liceret. Quæ cum aduenisset, Caue, inquit, partem tibi postules de meis bonis, ne te etiam frater tuus ad mortem ab Antonio deposcat. Atq; ita ipso obtruncato, non diu post patrimonio turpiter absumto, peculatus filius damnatus in exilio miseram uitam finiuit. Cicero uerò (qui post C. Casarem, tantum potuit quantum unus ex Oratoribus unquam) interfici iussus unà cum filio, fratre, fratris filio, & amicis ac familiaribus uniuersis, nauigio consenso ceperat consulere fuga sibi. Sed impatiens iactationis, reuersus in Formianum, acquieuit. Cum autem milites non longè à uilla abessent, qui illum quærebant, (nam cupidissimè interitum eius Antonius expetebat, & studiosissimè ab inferuentibus Antonio hic uestigabatur) Corui in conclaue, ubi fortè somnum capiebat Cicero, inuolantes, & excitare illum clangore & uestes eius mordicus apprehendere. Ibi serui diuinitus significari aliquid credentes, in lecticam impositum dominum denuo ad mare referre instituerunt, semita occulta & dumosa. Verum huc & illic discurrentib. militib. & sciscitantibus, ecquis Ciceronem uidisset, alij omnes narrarunt iam nauem eum conscendisse, & in alium esse prouectum, unus tantum cliens aliquando Clodij acerrimi inimici Ciceronis, P. Lænæ Centurioni paucos milites adducenti, illam semitam monstrauit. Qui cursu lecticarios assecutus, cum comitatum esse magnum cerneret,

Cicero

cerneret, callidè inclamare quasi sequentes aliquos Centuriones, & iubere illo accedere. Tum serui ter-
riti quod plures affuturos mox esse suspicarentur,
pro domino propugnare destiterunt. Ibi Læna, qui
aliquando caussa capitali à Cicerone defensus fuisset,
accurrit & prolatum caput ascidit, tertio ictu, cum
etiam resecaret, quod imperitus esset plagæ infligen-
dæ. Amputauit & manum dextram, qua oratio-
nes scripsisset dictas in Antonium, titulo Demosthe-
nico, Philippicarum. alij, id quod opinione sapientiæ
& uirtutis tanti uiri dignum est, retulerunt, para-
tos seruos pro domino dimicantes omnia extrema
subire atq; perpeti, ab ipso Cicerone prohibitos &
repressos fuisse, nudante & offerente ultro ceruicem
percussori. quod ideo uerius quoque uideri debet,
quia Liuius narrare non est ueritus, qui & ambas
manus præcisas & intra has caput pro rostris fuisse
positum, tradidit. Hac cæde patrata, alij equis alij
nauib; festinare ut optatum primi nuncium Anto-
nio afferrent. Læna autem præsidenti in foro An-
tonio caput de longinquo ostentans & concutiens
exhibebat. Quo uiso læticia elatus Antonius, coro-
na ornauit Centurionem & præmium auxit, datum
enim huic fuit decies, ut à quo is esset interfectus,
quem inimicum & aduersarium maximum atque
infestissimum Antonius habuisset. Caput autem Ci-
ceronis & dextra pro rostris diu affixa pependit,
ubi in uita ille eloquentiæ suæ præclara sæpe opera
ediderat,

ediderat, Sed tum plures ad uidendum, quàm olim ad audiendum concurrerunt. Narrat Dion Lænam propter caput Ciceronis expressam picturam cædis ascriptis nominibus posuisse, ut non audiretur modo, sed spectaretur etiam facinus. Fertur Antonium caput Ciceronis in mensam collocari iussisse epulanti oblatum, donec satietas etiam caperet aspectus et contemplationis, mali quod inimico se autore accidisset. Fulvia autem arreptum caput Ciceronis cum uerborum exquisitis contumelijs, ante oculos super genua sua collocauit, et ex ore suis manibus aperto linguam extraxit, et acu pungens lacerauit, inter multa fœda conuicia. Hic finis fuit uitæ Ciceronis, cuius nunc etiam ab omnibus eloquentia celebratur, et qui uiuus maximis in rebus utilis patriæ, tunc et mortem talem pertulit, et mortuus ea contumelia, quàm retulimus, affectus fuit. Sed filius Ciceronis, interitum euasit, quod ablegatus iam ante fuisset ad M. Brutum in Græciam. Quintus uerò frater, unâ cum filio compræhensus, petijt ab interfectoribus, ut se ante filium obtruncarent. Filius autem contrâ, se ut ante patrem. Ibi interfectores se litem diremturos esse cum dixissent, alteri altero arrepto, et signo dato trucidarunt ambos simul. Dion refert, occulatum fuisse à filio patrem, et potuisse euadere periculum: Sed cum depræhensus filius torqueretur, neque tamen patrem proderet, re cognita patrem, admiratione pietatis ætatisq; misericordia impulsus,

D

ipsum

Ciceronis
filijs

ipsum se indicasse. Egnatius pater & filius inter se complexi ita uno ictu ambo occisi fuerunt, & capitibus abscissis trunci in complexu mutuo hærentes relictæ. Balbus filium præmiserat ad mare, ne coniunctorum in itinere fuga esset manifestior. Cum autem quispiam nunciasset, siue insidiose seu per ignorantiam, filium esse compræhensum, redijt domum pater, & interfectores ultro accersuit. Perijt autem filius quoq; fracta naui in mari. Ita diuinitus tum urgeri calamitates uisæ. Aruntius ægrè persuaserat filio, ut fuga consuleret uitæ suæ, quod sine patre se discessurum esse filius recusaret. Cum autem deducto illo ad portam mater reuerteretur ad curandum funus marito, & simul cognouisset in mari occubuisse filium, impatiens doloris inedia uitam suam finiuit. Atque hæc exempla retulimus tam proborum quàm improborum liberum. Fratres autem duo Ligarij proscripti, in furno occultabantur. Sed reperti à seruis fuerunt. Atq; alter statim occisus. Alter elapsus fuga cum audiisset fratrem sublatum, de ponte in fluuium se præcipitauit. Cumq; exceptus fuisset à piscatoribus, qui non desilijsse, sed delapsam eum esse suspicarentur, contendere cum illis & sese in fluuium impellere. Sed impar uiribus, ad pisces qui conseruarent conuersus, Non uos inquit mihi salutem tribuitis, sed uobis unà mecum accersitis interitum, quod proscriptus sim. At illi ne sic quidem eum amittere, donec milites custodes pontis re intellecta accurrerunt

runt & caput Ligarij superstitis amputarunt. De duobus alijs fratribus, unus in fluuium sese abiecerat, cuius corpus seruus cum quæsiuisset studiose, tandem illud reperit die quinto, & cum facies adhuc agnosceretur, caput spe præmij abscidit. Alter qui in latrina occultaretur, indicatus fuit à seruo. Cumq; interfectores latrinam subire nollent, confossum illum hastis extraxerunt, & inquinatum caput deiecuerunt, ne tantum quidem morati ut sordes abluerentur. Alter cernens corripiri fratrem, accurrere, seq; ante illum iubere interfici. Tum Centurio qui de libello rem omnem nossit, æquum, inquit, postulas, nam & tuum in tabulis ante istum nomen proscriptum est. & hæc locutus illo ordine iugulauit ambos. Ligarium quendam occuluerat uxor, cum autem ancillæ arcano ministerio uteretur, prodita ab hac res fuit. Tum illa caput uiri auferentes sequens, clamare, se eum recepisse & texisse, ideoq; pari supplicio affici oportere. Cum uerò nemo ipsam uel interficere uel deferre uellet, ipsa se Tribusuiris indicauit. à quibus dimissa propter dilectionem mariti, sibi mortem in media con'ciuit. Atq; hæc quidem frustra conata maritum conseruare superstes illi esse noluit. Aliæ autem nonnullæ fructum amoris conjugalis tulerunt, conseruatis maritis. Aliæ nefarie insidiatæ fuerunt uitæ coniugum. Inter quas una nupta Septimio adulterum habebat quendam Antonij amicum. Quod cuperet autem uxor fieri adul-

Ligarius

teri, per hunc impetrauit ab Antonio, ut uir suus in-
 ter proscriptos referretur. Hoc cum cognouisset
 Septimius uxoris indicio, ignarus ille quidem dome-
 stici mali, fuga se in suas ædes recepit. At uxor tan-
 quam beneuolentiæ affectione, fores undiq; clausit,
 et ita tanquam in custodia uirum habuit, donec in-
 terfectores aduenirent. Eodemq; die et hi Septi-
 mium interfecerunt, et nuptias illa celebrauit. Sa-
 lassus fuga elapsus, cum inopia premeretur, redijt
 noctu in urbem, nonnihil iam sæuitia remittente.
 Vendita autem domo, solus ianitor qui una cum do-
 mo uenierat, herum agnouit, et in suam conclaue
 eum recepit et aluit, ut potuit. Tum Salassus petijt
 accersi uxorem ex ipsius domo. Quæ simulans se
 quidem accedere ad maritum gestire, uereri aut ne ad-
 uentus in nocte et ad alios et ad ancillas suspicionem
 pareret, promisit se interdiu uenturam esse. Postri-
 die illa accersiuit interfectores, et ianitor prodijt ut
 hortaretur cessantem eam properare ad maritum.
 Interea Salassus prodicionem metuens, tectum con-
 scendit. Vnde cernens aduentantem cum interfecto-
 ribus uxorem, se de tecto præcipitem dedit. Fuluius
 confugerat in ædes ancillæ, cuius consuetudine usus
 fuerat, et quam manumiserat, et cui insuper dotem
 dederat. Hæc tot affecta beneficijs prodidit Fului-
 um, emulatione impulsus, quod postea alteram ille
 duxisset. Sed exempla malarum foeminarum hæc
 retulisse satis esto. Staius autem Samnis, qui magnas

Salassus

Fuluius

Statius
Sacerdos

res gesserat bello sociali & ciuibus plurimum pro-
 fuerat, propter uirtutem & nobilitatem generis &
 opes in senatores populi Rom. relatus, proscriptus
 fuit & ipse, quod diues esset, iam annum agens
 LXXX. Hic domum patefcit undiq; & alia tam
 suos quàm alienos exportare iussit quæ quisq; uellet,
 alia ipse proiecit, atq; ita domum incendit, cum qua
 multa alia ædificia tum conflagrarunt. Capito totas
 ianuas aperuit, & patefactis illis cum interfectores
 irruerent singulatim, multos occidit, sed illis confir-
 tim irrumpentibus, compluribus casis tandem &
 ipse occubuit. Vetulinus manum collegit satis ma-
 gnâ, circum Regiû, tam de proscriptis ipsis quàm
 horum asseclis, itemq; de illis XVIII. ciuitatibus,
 quæ addictæ iam uictori militi, ut attribuerentur con-
 fecto bello, admodum indignabantur. Cum his Ve-
 tulinus obuiam procedere discurrentibus ad cædes
 centurionibus, & illos è medio tollere, & tandem
 contra se exercitu misso, ne sic quidem ab incepto
 destitit. Quin etiam mare traiecit & ad Pompeiû
 recipientem exules se contulit, & bellum gessit acri-
 ter, donec multis prælijs uictus filium una cum alijs
 proscriptis ad Mamertinos ablegauit, Ipse autem
 iam in uadis sua naue adhærente, insiliit in hostes &
 confossus ab illis interijt. Naso proditus à liberto
 quem amauerat, rapuit ensen ab uno ex militibus &
 proditore solo interemto præbuit ceruicem inter-
 fectori. Quidam autem seruus fidelis domino suo,

Capito

Vetulinus

Naso

hæc super colle quodam deposito ad mare abierat ut nauigium conduceret. Reuersus autem & conspicatus cedi herum ac iam exanimari, exclamans, here, inquit, paululum perdura, & repente impetu in Centurionem facto illum interemit, & mox se ipsum quoque, tantum locutus, solatium habes. Lucius quispiam, duobus libertis quibus imprimis fidem habebat auram tradiderat, & ad mare tendebat ut fuga salutem quæreret. Illi cum dilapsi eum deseruissent, desperatis rebus, redijt & se ultro indicauit atq; obtulit percussoribus. Labienus qui Syllana proscripti-
one comprehendisset & necasset multos, indignum scilicet ratus, non eandem fortunam fortiter perpeti, processit domo & ibi in sella consedit opperiens percussores. Cestius occultabatur ille quidem in agro apud suos qui fideliter eum tuebantur. Sed transcurrentibus cotidie Centurionibus qui capita cæsorum deferrent, impatiens diuturnæ formidinis, persuasit suis ut rogum struerent atq; incenderent, ac dicerent illud funus curari domino mortuo. Quod decepti cum fecissent, ipse in rogum insiliit & interiit. Apronius cum esset in tutis latebris, non tulit uictus tenuitatem, seq; percussoribus ultrò tradidit. Alius quispiam proscriptus in conspectu omnium uersabatur, sed percussoribus cessantibus, ipse in medio omnium laqueo se suspendit. Lucius Asinij qui tum consulatum gerebat, socer, fugiens in mari uehebatur, cumq; non ferret molestiam iactationis, ipse sese
in mare

Lucius

Labienus

Cestius

Apronius

in mare præcipitavit. Sisinium fugientem & clamantem se non esse proscriptum, sed insidias strui sibi quod esset diues, adduxerunt percussores ad tabulas, & iusserunt ipsum legere nomen suum, atque ita interfecerunt. Aemilius ignorans se esse proscriptum, cum cerneret alterum à Centurione peti, percontatus fuit, Quisnam ille proscriptus esset? Tum Centurio agnoscens Aemilium, & tu inquit & ille, atque ambos obtruncavit. Cilo & Decius redeuntes è Senatu, cum audiissent sua etiam nomina in tabulis proscriptionum extare, in fugam deformem statim conuersi petierunt portas, cum nemo adhuc illos urgeret. Et concitatiores cursu indicati, à Centurionibus iugulati fuerunt. Icilius qui aliquando in iudicio de Bruto & Cassio, præsentè Cæsare cum exercitu, solus palam absoluerat illos, clam alijs omnibus condemnantibus, Tunc oblitus magnæ numæ libertatis, admiscuit se effrentibus mortuum. Cum autem custodes portarum animaduertissent plures esse uestpillones quàm consueuissent, de illis nihil suspicati, sandapilam aperiunt & scrutantur, quod uiuum aliquem pro mortuo efferrè crederent. Interea rixari uestpillones cum Icilio quem alienum esse dicerent, donec agnitum illum percussores interemerunt. Varus cum à liberto proderetur fuga periculum uitauerat. Per continua autem montium iuga peruenit in paludes Minturnensium, atq; in illis

icilius

Varus

delitescens acquieuit. Minturnensibus autem praedones insectantibus & circum paludes uagantibus, prodiderunt summae arundines concussione sua Varum. Qui comprehensus praedonem se esse dicere, & condemnari se mortis perpeti. Sed cum etiam torquere eum uellent, & quaestionem habere de conscijs, non tulit tantum dedecus, & Interdico, inquit, Minturnenses me & consularem, & id quod iam pluris est potentibus rerum, proscriptum, uel torqueri uel etiam occidi. Si enim effugere mortem non licet, praestat hanc obire apud aequales dignitate & loco. Haec cum Minturnenses non crederent, & fingi putarent, forte illac transiens Centurio Varum agnouit, & amputato capite illius, truncum reliquit Minturnensibus. Largus comprehendebatur in agro, cum quidem alius quaereretur. Miserti autem illius quod cepissent non quaesitum, potestatem ei fecere aufugiendi per siluas. Ibi incidit in alios, quos insequentes incitato cursu fugiens sponte sua obtulit se alteris à quibus fuerat ante dimissus. Et, uos, inquit, me interficite, quos misertum mei fuit, ut uestrum sit non istorum praemium. Atque hanc ille mercedem humanitati moriens persoluit. Ruffus autem qui haberet coniunctas aedes egregias in uicinia Fuluae uxoris Antonij, & postulanti aliquando eas uendi sibi, negasset, tunc uerò donasset, nihilo minus proscriptus fuit. Cuius caput cum afferretur, non ad se pertinere Antonius dixit, & transmisit uxori.

Ula

Largus

Ruffus

illa uerò non in foro, sed ante aedes ipsum proponi iussit. Alius quispiam uillam habebat egregiam & umbrifam, & specum in ea amœnum atq; profundum. Et hæc proscriptionis forte causa fuerat. Captabat ille frigus in specu, cum è longinquo accurrentes percussores, seruus conspiciatus in specus intimos recessus dominum abdidit, & illius tunicam induit, & trepidatione assimilare se illum esse. Ac successisset res, ut pro domino ipse necaretur, nisi dolus à conseruo proditus fuisset. Atq; ita domino occiso, Non fecit finem populus facti indignitatem deplorandi apud Tresuiros, donec obtinuit ut proditor cruci affigeretur, & conseruator libertate donaretur. Aterium latentem indicauit seruus. Et libertatem adeptus aedes domini præmercare filijs herilibus & his contumeliose molestus esse. At illi cum lacrimis ubiq; hunc sequi, donec indignatione populi moti Tres uiri, restituerunt eum filijs occisi in seruitutem, quòd abusus fuisset concessio iure. Attigit illius temporis calamitas & adolescentiam orbam parentibus. Atq; unus qui in ludum litterarium itabat una cum custode interfectus est. nam hic discipulum complexus non potuit ab eo auelli, atq; ita simul confossi fuerunt. Dion, uel huic, uel alteri cuipiam, nam nomen reticuit, consulto togam puram esse datam scribit, ut quasi iam uir interficeretur, ad quam scilicet ætatem proscriptio pertineret. Atilius modo sumpta toga uirili, ibat ille quidem deducantibus amicis ad

rem diuinam, ut consuetudo ferebat, faciendam. Ad nuncium autem proscriptionis subito omnes tam amici quàm serui diffugere. At ille solus de frequente paulo ante comitatu relictus, matrem petijt, à qua cum ne ipsa quidem prae metu reciperetur, nō statuit deinceps alterius ullius periculum fieri oportere, & in montes confugit. Tandem fame coactus in apertos campos prodijt, & à prædone captus fuit, & uinctus opus ruri facere coactus. Sed cum laborem perpeti non posset, puer delicatè educatus, una cum compedibus in uiam aufugit, & prætereuntibus Centurionibus se ipse indicauit, & occisus fuit. Inter hæc Lepidus de Hispanis triumphauit, proposito edito tali. QVOD FELIX ET faustum sit, iubemus uniuersos utriusque sexus rei diuinæ & solennibus epulis operam dare hodie, Qui contra fecisse indicatus fuerit, is in proscriptorum numero habebitur. Atq; ita ille triumphum egit, & in capitolium ascendit, prosequentibus uniuersis specie quidam hilari, sed animis infestis. Proscriptorum autem ædes diripiebantur, neq; multi emtores bonorum inueniebantur, quod alij miseros premere uerarentur, neq; faustas emtiones illas fore sperare audent: Alij non tutum esse arbitrarentur cognoscisse pecunia abundare, neq; sibi firmas possessiones policeri possent. Pauci quidam sine alijs licitatoribus paruo quædam admodum mercabantur. Vnde euenit ut principes qui sperassent impensas necessarias belli

belli se confecturos esse, desiderarent adhuc octingentes. Quæ cum Populo Rom. exposuissent, proscripserunt statim deinde fœminas Mille quadringentas, quæ potissimum pecunia abundare crederentur. Harum unaquæq; facultates suæ quantæ essent demonstrare, & quod Tres uiri imperassent, pendere debebat. Præfinita & multa erat, siue aliquid aliqua occultasset, seu iniquè æstimauisset, & præmiu in propositum indicio seruorum. Tum mulieres ad principes fœminas confugerunt. Et benignè admissæ tam à Cæsaris sorore quàm Antoniæ matre, cum à Fulvia superbè repellerentur, non ferentes illam iniuriam, in forum procurrerunt, & orante Hortensia apud Tres uiros de indignitate exactionis conquestæ, primum quidem reiectæ fuerunt iussu Trium uirorum molestè ferentium quod cæteris silentibus mulieres in foro de Repub. uerba facere, & in ipsorum actiones inquirere auderent, Sed lictoribus clamore populi repressis, Tres uiri cognitionem in posterum diem distulerunt. Atq; tum solas quadringentas de numero M. CCCC. iusserunt de æstimatis facultatibus certam summam pendere: Viros autem uniuersos quorum facultates superarent censum equestrem, id est quadringenta sestertia, statim mutuo dare quinquagesimam partem bonorum, conferre autem tributum annuum ad impensas belli. Neq; quisquam exceptus fuit, non ciuis, non externus, non libertus, non sacerdos, & par-

metus

metus indicij additus. Atq; his malis populus Romanus de edictionibus premebatur. At milites contentis omnibus alia maiora infligebant. Quod enim animaduverterent illo rerum statu principibus omnem salutem in exercitu repositam esse, Et ea illos designasse, ut sine armorum praesidio tuti esse non possent, Audacter uel potius impudenter postulare ceperunt, quod quique concupiuisset. Hic proscriptorum uillam aut agrum aut domum, aut bona uniuersa. Ille ut in aliquam familiam adoptione perueniret. Nonnulli sua quoq; sponte alia patrabant, Obtruncantes etiam non proscriptos, & spoliantes innocentes, & ab omni crimine alienos. Atq; eo usq; indignitatis res processit, ut principes edicere cogerentur, uideret alter consulum ne quid fieret amplius quam imperatum esset, & ut in transgressores animaduerneretur. Hic uero non ausus quicquam in milites experiri ne uim armatorum in se conuerteret, quosdam seruos, qui habitu militari delinquerent, comprehensos cruci affixit. Atque huiusmodi quaedam proscriptis infelicitate & calamitate euenerunt. Nonnulli tamen & praeter suam spem & aliorum opinionem mirabiliter conseruati, & postea dignitate recuperata honoribus & opibus aucti fuerunt. Quorum proposita consideratione miserie, narrationem explicandam in praesentia non putavi. Ad istorum autem temporum calamitates non leue momentum accessit, quod harum autores, quasi illudentes

dentes fœdiſſimæ ſeruituti ciuium, quorū cruore orbem terrarū contaminare nō dubitarent, et omnibus pericula exitij atq; interitus creare, hi igitur tum diuulgarunt effigiem conſenſionis ſuæ, & hac ſignari nummū publicū uoluerunt cum inſcriptione tali, SALVS GENERIS HV M. Poſt hæc tempora, annis nō multò pluribus centū, Et Cometa toto anno uiſus eſt, & apparuit ſidus ſpecie enſis, id eſt, ut exiſtimo ξιϞ' ας. aliaq; fœda atq; horrenda prodigia fuerunt nunciata. Quæ tempora ſunt rabioſæ immanitatis Neronianæ, qui inaudita ante flagitia atque ſcelera fecit, & orbem terrarum calamitatibus compleuit. Non ſtrum exitioſum generi humano. Quarum rerum hiftoriæ in medio ſunt. In eadem incidunt clades ſtragesq; Iudaicæ. Quæ omnem cogitationum quoq; triſticiam & atrocitatem ſuperant. Atq; haud alienum foret argumento ſuſcepto, exponi res illas commemoratione noſtra. Sed quoniam & ueterum de his hiftoriæ & recentium narrationes copioſæ in medio ſunt, nos quidem referri omnia noſtra deſcriptione non putauimus oportere, capita tamen duximus notanda, ut eſſet quaſi index in conſpectu miſeriæ maximæ & ingentium maiorum, quibus populus ille afflictuſ, euerſus, deletus fuit. Floro præſide, (hinc enim ordiri uiſum) in ſupplices Iudeos ſigno dato factus eſt impetus, & tum multi uulgo obtruncati, omnis ætatis & ſexus, cum ne infantibus quidem pueris parceretur, quidam honeſtiores capti & ad

NB

Cometa

Nero

excidium
iudeorum

Florus

Et ad praesidem deducti, uirgis caesi et crucibus affixi fuerunt. Mox seditio orta est, cuius autor fuit Eleassar Ananiae Pontificis F. praetor templi. Tum copiae auxiliares Agrippae, non succurrente Floro, ac gaudente potius belli occasione, fuse, et incensa Ananiae Pontificis domus cum regia Agrippae atque Beronices conflagrauit. Curiae etiam incendio publicae rerum contractarum litterae crematae. Antonia deinde arx munitissima bidui oppugnatione capta et inflammata. Postea Manaimus Masadae armario Herodis effracto, instruxit siccariorum copias non paruas, et ductor seditionum, regio apparatu expugnare reliqua, quae Hierosolymis à Romano et regis Agrippae praesidiario milite tenebantur, aggreditur. Ibi pacatione regis dimissis, Romani in turres munitas confugere, nonnullis interceptis et iugulatis. Tum et Ananias Pontifex captus interfectusque fuit. Hunc Manaimum sustulit Eleassar, et praesidium Romanum pactum ut discedere traditis armis, et ceteris rebus omnibus saluis liceret perfide trucidatum fuit, die Sabbati. Eodem die Caesarienses Iudaeos uniuersos apud se interfecerunt plures Milibus XX. In tota autem Syria fuit magna exitiosus tumultus, et maxima hominum multitudo necata, et oppida plurima eversa et incensa. Immanis rabies narratur à Iosepho cuiusdam Simonis, qui, cum Scythopolitae Iudaeos incolas urbis suae circumuentos callide interficere cepissent, ipse

ipse parentes senes, & uxorem unā cum liberis occiderit manu sua, ne ab alienigenis ludibrio haberentur, & ita demum se ipsum iugulauerit. Alexandria autem in Aegypto omnis ætatis & sexus cadauera coaceruata sunt quinquaginta milium Iudeorum, quos mota seditione miles Romanus trucidauerat, & ædes illorum direptæ fuerant atq; incensæ. Orientem tum seditionis flammam cum posset restringere Cestius, non modo hoc non fecit, sed seditionum etiam animo, accepto detrimento, confirmauit. Damasceni autem illo tempore interfecerunt, inquilinos Iudeos numero decies mille. Atq; ita bellum manifesta defectione Iudeorum susceptum est, & Vespasianus à Nerone ad recipiendam Iudeam missus. Hic conspectus statim terrore & desperationis compleuit Galilæos, quos primos aggressus fuerat. Atq; Gadaris captis uniuersos absq; ætatis respectu interfecit, urbe & uicinis pagis atq; uicis omnibus inflammatis. Dum autem Iotapata oppugnatur, inolescere Iaphæi, aduersum quos missus Traianus, cum capi urbs posset, laudem illam Duci Vespasiano reseruandam putauit. Aduentu igitur Titi res confecta fuit, neq; patriæ uirilis ætatis quisquam superstes remansit, cæsis atq; mortuis Milib. XV. Et Samaritas in monte Garissino cum armis congregatos, Cerealius concidit qui fracti & debilitati æstu atque siti, tamen in deditionem uenire Romanorum noluisse. Cecidere horum Milia XI. sescenti. Mox

Cestius

et Iatopata capta, post oppugnationem inceptam, die circiter XL. Ipseque urbs cum omnibus munitionibus euersa atque diruta, interfectis toto tempore quo oppugnata fuit, quadraginta milibus uirorum. Iosephus autem dux Galilaei exercitus in potestatem hostium uenit. Hic est Iosephus qui ipse suae gentis calamitatem et exitium litteris mandauit, expositis copiose omnibus sermone Graeco non inelegante. Interea ij qui hostium manus euasissent, aut elapsi essent de alienatis urbibus instaurantes Ioppen, et hunc receptum munientes ad praedas, mare infestum latrocinij reddiderant. Sed celeriter conatus iste repressus fuit, cum collecta multitudo partim in mari, partim in littus eiecta interiisset, ad quatuor milia, ducentos. Taricheis autem et in lacu Gennasfereta, cecidere sex milia quingenti. Caeteri cum in potestatem Romanorum uenissent et deprecarentur ab illis salutem, Vespasianus morem tum gessit iracundiae suorum, et honestari praetulit id quod utilitatem habere credebatur. Iussis igitur his se conferre Tiberiada, cum et sua secum efferrent, et ueniam impetrasse se considerent, In stadio congregatis omnibus, trucidati fuere senes et qui nulli usui essent ad mille ducentos. Iuuenes delecti sescenti, et missi ad opus perfodiendi Isthmum a Nerone institutum. Caetera multitudo circiter triginta M. quadringenti uenierunt. Post haec captis Gamalis, quod nomen ex Camelo pronunciando deprauatum est,

est, non sine Romanorum detrimento, Et urbs illa diruta & omnes incolæ uel ferro hostili, uel suis ipsorum manibus & præcipitio inprimis interierunt, neq; euaserunt istam stragem plures mortales, cuiuscunque sexus & ætatis & conditionis, quàm mulieres duæ. Numerus autem mortuorum attigit decem M. Inter oppugnationem tamen audaciores aliqui elapsi Hierosolyma se contulerunt. Cuius quidem quasi appendix fuit Itaburijs montis occupatio. quod negotium datum fuerat Placido. Gischala autem cum pestis populi Iudaici Iohannes animaduerneret defendi non posse, facta spe deditiois, excessit noctu urbe, cum factione armata, sequentibus & alijs popularibus cum uxoribus & paruulis liberis. Petebantur autem Hierosolyma, ubi si bellum duceretur, principatum spe deuorauerat Iohannes. Mane Tito, qui ad occupationem urbis à patre missus fuerat, portæ ab incolis, qui magna ex parte agricolæ essent, aperte, & ut liberatori Tito gratiæ actæ, & indicata fuga seditiosorum. Eam rem Titus, & se deceptum moleste ferens, partem equitatus iussit insequi fugientes. à quibus ad sex milia uirorum interfecta, mulieres & pueri capti circiter ter mille. Iohannes tamen cum præcipua turbulentorum manu Hierosolyma, ut urbi & genti exitio esset, peruenit. Illis temporibus, omnia ubiq; loca seditionibus plena erant, & partium studia contentiones cruentas incendebant. Fauebat autem ferè Iuuentus ijs qui imperium populi

E Romani

Romani recusabant. Seniores intelligentes periculum, paci studebant. Tum & domus atq; familiae & populi distrahebantur, & concurrebant ij quorum similes erant uoluntates, & res ad direptiones & caedes progrediebatur. Praesidia autem Romana, illa fieri uidebant & patiebantur, donec seditiosorum copiae Hierosolyma accesserunt. Vnde ueteri consuetudine nemo excludebatur Iudaicae nationis. Neque legitimum ullum imperium tunc Hierosolyma habebant. Ibi igitur seditiosi, (qui se specioso nomine Zelotas appellabant, quo significaretur ardor animi parati omnia facere & perpeti pro patria religione.) Illi igitur Hierosolymis congregari, & nefaria uiolentia summam rerum capeßere, comprehendereq; & interficere quoslibet, tanquam fauentes Romanis. Ritus etiam religionis pro arbitrio mutantes & templam profanantes. Quibus cum caeteri duce Anano sene pontificiae dignitatis uiro se opposuissent, Iohannes is cuius supra mentionem fecimus, fraudulente se cum ciuibus & Anano coniunxit. & horum consilia prodens Zelotis, & mendacio hos de proditione ac minis Anani irritans, persuasit eis ut Idumaeos accerferent, gentem mobilem & procliuem ad arma capienda, & qui in aciem prodire tanquam ad pompas sacrorum solerent. Horum uiginti milia tum aduenerunt. Ea q; re comperta, clausis portis, Ananus uerbis placare frustra multitudinem effrenatam, conatus, in defendende
urbis

urbis consilio permansit. Sed nocte illa imbribus & terræmotu & tonitruis horribili, à Zelotis portarum repagula dissecta fuerunt, & ualuis apertis admissi Idumæi, qui hostilem crudelitatem exercentes, rapinis & cædibus uastata urbe, cum aduentus iam & facinorum poeniteret, discessere, & Zelotarum rabies maiorem sæuitiam in ciues adhibuit. Qui igitur poterant fuga elabebantur. sed hæc perquam difficilis erat propter accuratam custodiam, Pecunia tamen à diuitibus illa redimebatur. Cæteri uerò depræhensi iugulabantur, & abiiciebantur corpora insepulta. Ferebatur tum ueteres prædixisse, tunc ab hostibus urbem captum, & crematum iri templum, cum seditione orta intestinæ manus Deo consecratam ædem polluisset. Neq; minus ubique in Iudæa grassabantur latrones. Vespasianum autem nihil horum quidem fugiebat, sed malebat Iudæos seipsos conficere proprijs uiribus, quàm periculum in eis superandis adire. Tandem precibus elapsorum & misericordia oppressorum, & indignatione rei motus, exercitum ad urbem constituit adducere, eo tempore quo feriæ celebrabantur quarum nomen Azyma. Prius oppidis compluribus occupatis, plurimis etiam euersis, & uastatis passim agris, & diuersis in locis obtruncatis milibus hominum XX. & ingente capta multitudine. Hæc dum mouet, nunciatur Neronem esse interemtum. & mox Galbam. itaque Vespasianus oppugnationem

Hierosolymorum distulit, in solitudine de patria, adoriri alienos intempestivum ratus. Interea Simon Gioræ filius homo imprimis audax ad omne facinus, et manu promptus, neque minus quam Iohannes improbus, sed non tam callidus, collectis latronum copijs, et exercitu instructo, graviter afflixit Idumæos, et regionem eam ferro et igne vastavit. celeriter furorem crudelitatis illorum Deo ulciscente. Hunc animaduvertebant Zelotæ principatum sibi querere, ideo aduersari conatibus ipsius. Romæ autem dum Nerone è medio sublato, et Galba trucidatur, et Otho imperiū occupat, et uictus à Vitellio se ipsum interimit, Vespasianus et superioris Idumææ locis occupatis atque vastatis agris, ductu Cerealijs, et reliqua Iudæa in potestatem redacta, equo Hierosolyma usque prouectus fuit, cuius oppugnatio iam restabat et parabatur. Sed nihilo minus circum Hierosolyma Simon formidini erat suis, qui elapsos uim Zelotarum excipiebat ac iugulabat. Iohannes uerò qui licentiam infinitam libidinū atque scelerum ijs quasi mercedem retribuerat, quorū opera obtinuerat principatum, offensa multitudine, quæ et inuideret illam potentiam Iohanni et seuitiam odisset, causam dedit seditioni, quæ atrocissima orta fuit, et hac occasione alter Tyrannus Simon accersitus et admissus. Cum autem Vespasianus Imperator à militibus appellatus, ad Vitellium opprimendum, et hoc sublato ad iter Italicum curam adhiberet, liberius uexandi Hieroso-

Hierosolyma fuit sceleratis ciuibus potestas. Atque Imperio Vespasiani confirmato, ipse Romam contendit, Titum filium conficiendi belli causa cum exercitu in Iudæam misit. Qui legiones & equitatum unâ cum auxiliaribus copijs adduxit, cum in tres iam partes distracta manu armatorum Hierosolymis, ipsi urbem popularentur & expugnationem præpararent Romanis. Vnius factionis caput erat Iohannes, Alterius Eleassar, qui ab hoc desecerat, Tertiæ Simon dux Latronum. Hi cum admoto propius hostium exercitu cœpissent consentire ad defendendam urbem, rursus disiuncti fuere diffidentia & odio. Dumq; urbs circumuallatur, ipsi intus fœdas strages ediderunt, sanctissimis potissimum ferijs Paschalibus. Tandem Eleassar cum Iohanne se coniunxit. Vniuersarum copiarum numerus fuit ad uiginti tria milia quadringentos. Cum autem & aries iam murum percussisset, obliti inimicitarum suarum, omnes ad propulsandum hostilem impetum conspirarunt. Interea & fames necauit innumeros, & armatorum immanitas in urbe terribilis fuit. Ac tandem ijs sceleribus editis, & ita afflicta ciuitate, ut nihil simile unquam accidisse comperiatur, multitudineq; ingente extra urbem capta, & tota regione crucibus completa (nam compræhensi hoc supplicio afficiebantur) cum neque solum crucibus neq; corporibus cruces sufficerent, ab ijs autem qui obsidebantur, admirabili audacia uel potius

rabie per desperationem tanquam deuotis memora-
 bilia facinora facta essent, tandem Titus uallo & fos-
 sa urbem undiq; cinxit, & inclusos ad deditionem
 penuria rerum ad uictum necessariorum, qua iam
 grauitur premebantur, compellere instituit. Nume-
 rata fuerunt cadauera fame mortuorum sescenties
 mille, quæ elata & abiecta constabat. Cæterorum
 numero inexplicabili. Fames autem ita dira fuit,
 ut cingula & uincula atque alutas calceamento-
 rum, & clipeis detractum corium & fœnum man-
 derent. Quin etiam mater depræhensa est, quæ la-
 ctentis pueri assis carnibus uesceretur. De coacerna-
 tione autem cadauerum, alitus pestilens etiam cœlum
 infecit, & luem commouit. Quamuis autem potuis-
 set potiri Titus urbe, si obsidionem urgeret, Tamen
 mutato consilio oppugnationem instaurauit, & fuit
 tandem templo inflammato, & omnis generis, con-
 ditionis, ætatis, sexus, plurimis cæsis, tota urbs capta,
 euersaq; & diruta. Iosephus oppugnationis huius
 tempore capta esse scripsit Iudæorum nonaginta
 septem milia, interiisse centum & decem milia.
 Hoc bellum confectum fuit Hierosolymis captis, VI.
 Id. Septemb. post Christum proditum & crucifi-
 xum annis circiter XL. cum altero iam anno Ve-
 spasianus rerum potiretur. In Iudaico triumpho
 candelabrum illud singulare populi istius, & uasa
 sacra præiata, & multiplice effigie uulgata uictoria
 fuit, percusso nummo, in quo exprimeretur & in-
 scribe-

scriberetur, IVDAEA CAPTA. Cometa
etiam, id est, ut Suetonius, stella crinita apparuit die-
bus plurimis, paulò ante Vespasiani Imperatoris
mortem. Quo tempore cum alijs in locis tristia ac-
ciderunt multa, tum in Campania horribilia & mi-
ra. Nono Calend. Septembris fumus primum &
densi uapores subito conspici & mox magna uis
ignis erumpere è monte Vesuuiò, & pumices atque
fracti igni lapides, ut ait Plinius, cum cinere. monsque
totus & uicinum solum horribili motu quati, & sul-
furea flamma omnia compleri. Est autem mons
Vesuuius, quemadmodum Dion ait, ijs, quæ interpre-
tati sumus, uerbis, uicinus Mari ad Neapolim, scaten-
tibus fontibus ignis plenus. Hic olim fuit altitudine
æquabili sublimis, & de medio uertice tantum, qua
ardebat, flammæ emicabant, cæteræ partes, ut ante
sic nunc quoque ignis expertes. Hæ igitur cum non
exurantur, attenuentur autem & in cinerem redi-
gantur mediæ, fastigia cætera circum medium uer-
ticem adhuc retinent, sed ille igne consumtus tempo-
re subsedit, quasiq; excauatus uidetur, & ut parua
magnis conferam, iam totus mons Theatro uenatio-
num similis est. Atque loca summa extremaque cum
alias arbores multas, tum uites habent. Sed circus
ille destinatus ignibus, interdiu fumum, noctu flam-
mam emittit. dicas multos & uarios in illo odores
incensos flagrare. Fit autem hoc semper, modo ma-
gis modo minus. Verum si quando confestim atque

argē subsedit, tum & cineres eijciuntur, & uiolentia
flatuum saxa. Sonusq; & fragores audiuntur, quod
meatus spirituum non obturatos & densos, sed laxi-
ores & occultos habeat. Atq; mons Vesuius talis
est, & istiusmodi in eo singulis annis crebro fiunt.
Quamuis uero, quæ proximo tempore acciderant,
ea esse ingentia, & excedere usitatæ obseruationis
modum uiderentur, parua tamen, si conferantur ad
illa quæ tunc singularia contigerunt, ducenda sint.
Constat enim uisa uirorum multorum, immani & hu-
manam naturam superante proceritate, qua Gigan-
tes specie pinguntur, partim eo in monte, partim in
regione propinqua & uicinis oppidis die noctuq; ap-
paruisse, tam uagantium in terra, quam per cœlum
gradientium. Secutiq; sunt æstus squaloresq; horri-
biles, & uehementes terræ motus, ut solum omne il-
lud ebulliret & promontoria exultarent. Sonus au-
tem subter terram audiri tonitruo similis, supra ter-
ram mugitui. Accedebant fremitus maris & cœli
strepitus, & subito fragores diri, quasi montes cor-
ruerent. Eruperuntq; primum magnitudinis im-
mense saxa, quæ ad promontoria usque eijciebantur.
Mox copia ignis maxima, & fumus abundantia in-
finita, ut non modo Sol prorsus occultaretur, quasi
defectione, sed totum cœlum caligine & tenebris ob-
duceretur. In noctem igitur conuerti dies, & de
luce existere caligo. uidebanturq; sibi quidam uide-
re Gigantes illos impressionem facere (multa enim
huius-

huiusmodi simulacra in fumo apparebant, & insuper tubarum sonitus audiebantur.) Quidam suspicabantur esse tempus quo mundus concideret & reuerteretur in chaos, aut igne consumeretur. Itaque fugam parare, alij ex ædibus in uias, alij qui foris essent intro se recipere, nec non è mari in terram, & è terra in mari se conijcere. Sed & alij animis erant perturbati & quicquid abesset id tutius præsentibus arbitrabantur. Simul autem hæc fieri, simul uerbis non enarranda cineris copia efflari, qui terram, mare, coelum totum occupauit. Atque cum alia, quemadmodum sors tulit, damna labesque factæ in hominibus, agris, pecudibus, tum pisces & aues cunctæ deletæ, & oppida duo Herculanium & Pompeij, in Theatro sedente multitudine obruta sunt. Pulueris autem tanta uis fuit, ut inde & in Africam & Syriam atque Aegyptum peruenerit, & Romam accesserit, ubi toto coelo repleto, obscuratus Sol, & metus non leuis fuit, diebus compluribus, cum neque scirent homines quid accidisset, neque coniecturam facere aliquam possent. Credebantque & ipsi omnia sursum deorsumque ferri, & Solem in terram delapsum extingui, terram in coelum ascendere. Cinis quidem tum Romanos non admodum læsit, cum pestilentia diu postea causa fuerit, sed anno sequente, longè lateque incendium in urbe uagatum est, absente Tito Imperatore, calamitatem Campanam considerandi gratia. Tum & Serapidis & Isidos templa, itemque

Neptuni, & septa, & balneum Agrippæ, & Pantheum, & Diribitorium, & Theatrum Balbi & Pompeij scena, & ædes Octavianæ conflagrarunt unâ cum libris, itemq; templum Iouis Capitolini unâ cum fanis adiunctis. atque adeo non humane conditionis fuit illa calamitas, sed diuinæ iræ atrocis declaratio. Licet autem unicuique conijcere ex ijs quæ enumerata sunt, quæ nam præterea illa clade perierint. Hæc ferme Dion, uel is potius qui scripta ipsius in breuiore narrationes contraxit. Eadem autem tempestate diuersis in partibus orbis terrarum & terræ motus & uariæ labes factæ & pestilentia seu, & aliæ multiplices calamitates mortalibus infestæ fuerunt. Hinc longo sane interuallo nobis discedentibus, libuit mentionem proximam Cometæ facere eius qui conspectus esse traditur integro mense Anno Christi D. XCIII. Quando & siccitatis exitialis squalor & locustarum agmina, & dira fames, cum alia loca orbis terrarum tum Italiam imprimis uexarunt, læserunt, uastarunt, afflixerunt. Sed nihil accidit tum deterius neq; exitiosius aut intolerabilius, quàm defectio nefaria & impia secta, cuius autor & confirmator fuit Mahometes Arabs, quem esse natum perhibent Anno Christi D. XCVII. uel ut alijs placet, DC. Confertur autem tempus quo regnare cepit Mahometes de mentia errorum deprauatis & captis specie religionis Sarracenicæ nationis hominibus, in annum Christi

sti seſcentefimum XXII. Cum faciant Arabes huius regni initium, quando relictā Mecca Madīnā ille inuaſit, Annum ab orbe condito ſexies milleſimum centeſimum nonum. Sed de annorum diſtinctione nunc non eſt propoſitum neq; locus diſſerendi. Ad Cometam igitur tum uīſum reuertor prodigium & oſtentum maxime dirum atq; infelix. Romani enim Imperij dignitas autoritasq; atq; potentia tum penitus corruere euertiq; ac obteri cepit. Sed has narrationes explicare non lubet. Indicandum autem putauimus & illud tempus calamitoſum & miſerum, quo & doctrine ueritas amplius corrupta, & Eccleſiæ adminiſtratio in potentiam gubernationis mutata eſt, & diſciplina degenerauit, & reliquum nomen Imperij infamatum, & maietas diminuta fuit, cum ſucceſſit Henrico patri Henricus IIII. Quibus temporibus Pontificum Romanorum iniquitate & ſcelere maximis bellis occaſiones & cauſſæ datae ſunt. Et robur Germaniæ Franco-
rum & Saxonum fortiffimæ gentes commiſſæ, ſeſe mutuis uulneribus conciderunt. Debilitatæq; & fractæ uires præſtantiſſimæ nationis Germanicæ nunquam deinde potuerunt inſtaurari. Tum igitur & anno Chriſti M. LXVIII. & M. XCVII. Cometæ apparuerunt. Perhibetur & Cometes inſigni magnitudine ultra tres menſes conſpectus eſſe, Anno Chriſti M. CC. LXIII. & alter mox poſt annos XXXVII. Et ruruſum alter tribus menſibus

mensibus uisus anno Christi M. CCC. XIII. Et
 postea alter anno Christi M. CCC. XL. Et de-
 inde alter anno Christi M. CCC. LIII. Quibus
 temporibus cum orbem terrarum uariè quasi la-
 befactatum legamus, & genus humanum multipli-
 cibus cladibus affectum, bellis, fame, incendijs, pesti-
lencia, religione interim pene ad extremam supersti-
tionem prolapsa, cætera cognoscere uolentes illorū
 temporum historias poterunt requirere, quæ sunt in
 medio. Nobis uisum est Ptolemaidos cladem, quæ
 communis fuit totius nominis Christiani exponere,
 quod tantam rem nondum compererim à quoquam
 accuratè esse literis mandatam. Hæc urbs Cœlosy-
 riæ seu Phœnices, nomen uetus habuit Ace, quod &
 retinuit unā cum illo nouitio. Traditur autem Her-
 culem ita eam nominasse, quod uulnus inflictum ipsi
 ab Hydra eo loco persanatum esset colocasiæ medica-
 mento. Hæc cum & admirabilibus operibus munia-
 ta, & opibus potens, floreret uiris præstantissimis,
 generis nobilitate, & laude uirtutis, secundis rebus
& fortuna prospera elata, sibi exitium nominiq; Chri-
stiano calamitatem, & uiciniae interitum attulit.
 Eam rem ita esse gestam accepimus. Erat in ciuitate
Mercatorum ordo is, ut cæteræ nobilitati existima-
 tione æquaretur. Tantis diuitijs propter ampli-
 ma negocia abundabat. Iis temporibus ardebant
 certamina partium Gibellinarum & Guelfarum, Pi-
 sani illas, has, Genuenses sequebantur, & sese mutuis
 detri-

ptolemaïdis

Ace.

detrimentis maximis afficiebant. Huius detestabilis pestis quasi fluctus ciuitatem istam tum etiam inundarunt, & odia capitalia contentionesq; perniciosas excitarunt. Capita autem erant Genuenses & Pisani, qui opibus & potentia cæteris in illa ciuitate tum præstabant. Crescentibus autem, ut fit, inimicijs, res ad hostiles oppugnationes processit. Inter quas scelerata cupiditate utriusque partis euer-
tendi alteram, cum Sarracenis foedera facta & soci-
etates initæ fuerunt. His cognitis Vrbanus Pontifex sollicitus de summa rerum, quam in maximum discrimen uenire istis dissidijs intelligeret, ciuitati præsidium ultra mare misit, conductæ mercede XII. milia. Hi abutentes licentia militiæ, & quiete temporum illorum, quibus inter Christianum nomen & Sarracenos induciæ & conuentiones quædam erant, in
ocio multa foeda facinora & flagitia facere. neq; in-
tus continere se in turpitudine ac libidine ulla, & for-
ris rapinis operam dare, & prædas agere, uiatores spoliare, contra fidem pactorum Sarracenos affligere. Quapropter tandem principes horum multis iniurijs prouocati, cognitis etiam dissensionibus A-
cæorum, neq; diutius quiescendum, & occasione uten-
dum esse censuerunt. Inter hæc, is qui tum Babylo-
na tenuit Sultanus Melechsaïtes mortem obiit, cui
successit Serapha, seu Sapherapha. Is animo magno
& prudentia atque uirtute excellens, conuocat pro-
ceres regni, Babylone. Exponit quoties ad illud tem-
pus

Vrbanus
Pontifex

pus usque pacta conuenta non sint seruata, neq; diutius dissimulandam esse uim atq; iniuriam aduersariorum. Ipsam quoq; fortunam ulciscendi hostes opportunitatem offerre, illorum discordias & intestina atq; domestica bella. Non fuit opus tum longa oratione, omnes enim consilium statim probarunt. Itaq; magnis copijs celeriter contractis, ad urbem Acen populabundus accessit. Neq; quisquam resistit aut occurrit aduenienti, occupatis omnibus proprijs malis & metu suorum. Itaq; & uites & ceteræ arbores nemine prohibente, à Sarracenis excise fuerunt, & ædificijs extra urbem ignis illatus. & paulò ante cultissima amœnissimâq; regio, uastata subito uniuersa. Erat tum ex incolis urbis Magister sociorum Hierosolymitarum, uir sapiens & fortis, Is propter dissidia ciuium metuens ne urbs ipsa in potestatem hostium ueniret, cum uteretur amico atque beneuolo Serapha, obuiam illi inermis processit, tentaturus an auertere iritatum, & pacem gratiâque reconciliare posset. Atque impetrauit ab illo pacem, quæ redimeretur à singulis in urbe pensione unius Veneti nummi. Magister cum hac conditione lætus in urbem reuertitur. Quantum mali impendeat ciuitati non modo ab hostili impetu, sed suis dissidijs ac factionibus ostendit, Et qua conditione obtinuerit, ut discedat hostilis exercitus, commemorat. Hortatur ut se tanto & tam præsentè periculo, ita uili impendio liberent.

At

At multitudo fatali uesania incitata & partium cœco studio, magnis clamoribus refragari. Ipsū pro-
ditorem appellare, & minari dignum perfidiæ sup-
plicium. Tum igitur Magister ægrè de manibus fu-
riosæ multitudinis elapsus, Soltanum de omnibus red-
dit certio rem. neq; minus tamen ipse cum socijs defen-
dendæ urbis pro sua parte curam suscipit. Soltanus
cum refutari lenissimam postulationem suam audiret,
incensus ira, sexaginta ante urbem aggeres ex-
citauit. Et continuis XL. diebus oppugnationem,
coniiciendo in urbem saxa & ignes, urfit. Comper-
tum est narrasse quendam qui de turre pro urbe tum
propugnauerit, emissam lanceam in hostium agmen,
in sublimi fuisse machinarum saxi comminutam. Ha-
buit Soltanus in castris ad sescenta hominum M.
His in partes tres diuisis, Centena milia urbem op-
pugnabant per uices. Ducenta ante urbem sta-
bant expedita ad prælium, & reliqua ducenta milia
subsidio. Interea portæ urbis clausse nunquam fuisse
perhibentur. Fiebantq; perpetuo prælia à socijs
Hierosolymitis. Sed hostium tanta fuit multitudo, ut
excursiones istæ non multum proficerent. Vrbs
conseruari tamen potuisset, si ciues concordī uolun-
tate illam defendere uoluissent. Nam & in præ-
lijs ultro una pars alteram deserebat, Et in re-
pellenda oppugnantium ui neutra adiuuabat alte-
ram, quod singuli se sic habere munitas ædes cre-
derent,

derent, ut suo eas, quemadmodum dicitur, Marte, defendere facile possent. Cum autem socij Hierosolymitæ, qui soli ex animo & fideliter restiterant Sarracenis, tandem prælijs crebris attriti & propemodum consumti essent, & fata improbam ciuitatem urgerent, tandem die XL. ex quo oppugnari cepta erat, postridie Calendarum Maij, Sarraceni urbe potiti fuerunt, Anno Christi M. CC. LXXXII. Quæ fuisset caput & ornamentum atque decus omnium in orientis plaga ciuitatum. Hac clade cognita, Tyrij, Sidonij, Ioppæi, Ascalonitæ, & uicinorum oppidorum incolæ, per extremam desperationem, illa loca deseruerunt & trepida fuga petierunt Cyprum. Sarraceni irruperunt Acen, ea parte qua munita erat regia, cognomento Hierosolymæa, actis cuniculis. Fuit in urbe difficilior expugnatio propter incredibiles munitiones singularum ædium, quæ pro arcibus essent. Sed cum alij alios proderent atq; relinquerent, ciuium scelere magis quàm ignauia superiores hostes urbem ceperunt. Dixerunt tum diuinæ iræ inseruijsse naturam rerum ad euerisionem Aces, quam incolæ nefarijs sceleribus & turpissimis flagitijs & impietate detestabili prouocassent. Terram enim hausisse sanguinem interfectorum. Igne præclarissima ædificia conflagrasse. Coelum autem & nubibus obscurum & uapore denso nigrum fuit, adeo ut suppetias quoq; ferre uolentibus prospectus eriperetur. Mare uerò illis placidissimis

diffimis diebus, ita commotum improuisa tempestate fuit, ut naues ad terram pleraque appellere non possent. Itaque desperata defensione urbis, cum ad naues incolae festinarent multi prius quam in naues recipi possent partim submersi, partim intercepti sunt. In Cyprum tamen plures quam centies mille peruenerunt. Refertur pro uero quod tum acciderit, id quia memorabile uisum est, non putavi silentio praeterendum. Ex nobilitate praecipua matronae ac uirgines supra quingentas, Quicquid potuerunt preciosissimarum rerum arripere atque ferre, id gestantes astitere ad littus, et quam altissima uoce exclamantes orabant, si quis nauclerus accepta mercede omnium quae portarent, et ex suo numero coniuge quamcunque uoluisset, auderet ipsas transuehere in locum ubi tutae essent. Tum appulit onerariam nauclerus quidam, et uniuersas sine mercede transportauit saluas atque incolumes in Cyprum, neque ulla inuestigatione reperiri potuit, Quisnam ille nauclerus fuisset, aut quo deinde se recepisset. Aliae multae interierunt partim in urbe partim in mari. Sarraceni in expugnandis singulis munitis aedibus cum magnas strages edidissent, ipsi etiam grauiter afflicti fuerunt. tantaque copia cadauerum iacuit in regionibus urbis, ut domus ueluti pontibus horum aceruis iungerentur. Expugnationi interiori urbis mora dierum L. fuit illata. Socij autem Hierosolymitae uel reliquae potius horum suam munitionem defenderunt totis

E mens

mensibus duobus. Neq; multi ex Sarracenis qui urbem intrauerant, uiui inde euaserunt, quin aut ruinis opprimerentur, aut telis conficerentur, aut inclusi igne cremarentur. Cum autem ui illam munitionem capi posse Sarraceni desperarent, tulerunt socijs Hierosolymitis conditionem deditiois talem: Vt omnia sua secum armatis auferre, & unica illa munitione destructa, instaurare urbem liceret. Socij cum fidem habuissent hosti, ita circumuenti partim trucidati partim cum cæteris omnibus qui fuga elapsi non fuerant, Babylona captiui abducti sunt. Et mansit euersa urbs illa in potestate hostium nominis Christiani. Sultanus collocauit ibi præsidium, militum conductorum mercede, quos tradiderunt uictum etiam quæsiuisse texendo uestes sericas, cum alerentur uolucris, inprimis perdicibus atq; columbis, cuius generis ibi infinita esset copia. Hi alia quando singulari beneuolentia complexi fuerunt Germanos, quorum faciem & ingressionem statim agnouisse perhibentur, cumq; his ita hilariter uictitate consueuisset, ut contra ritum religionis suæ, unda etiam uinum potarent. Illo bello ab urbe Ace & e uicinia captiui abducti ad centum & sex milia hominum, cum cecidissent ad milia trecenta, inter quos non pauciores Sarracenos quàm Christianos fuisse constabat. Huius urbis eersionem deplorauerunt omnes orientis ciuitates, & more suo, celebrarunt cantilenis lugubribus. Mulieres etiam omnes uestes
muta

mutarunt & non nisi pullatæ prodierunt in pu-
blicum. Cometa esse conspectus traditur Anno
Christi M. CCCC. Et rursum alter Anno Christi
M. CCCCI. paulò ante quàm Tamuralanus mor-
tem obiit. Et mox de principatu Ecclesiastico tri-
stes controuersie fuerunt, & acciderunt ea quæ pro-
pter præsentium rerum conditionem dignissima con-
sideratione uideri possunt. Nam tum ei, ut dici so-
let, intrita fuerunt, quæ longo tempore uarie quasi
coquinando, ut Plautino uerbo utar, nista confusaq;
uerendum est, ne huic tandem sæculo exedenda
sint. Sed inter hæc & bonitas clementissimi Dei ue-
ræ pietatis inuocatione exorari poterit, ut ærumnæ
mitigentur implorantibus opem ipsius: Et quæ
contemptores respectus ipsius sustinere cogentur, ea
animaduertentes alij, quamuis contagione malorum
quasi corripiantur ipsi quoq;, quod tamen persua-
gium sibi pateat, & quibus remedijs uti debeant,
non poterunt ignorare. Quapropter etiam ista
perstringenda duximus enarrando. Quæ intuen-
tes animaduertere poterunt, quibusdam in locis ma-
la miserasq; uel minus graues & exitiosas accidere,
uel omnino declinari euadiq; potuisse, si non urgen-
do, & incitando corroborarentur, ut serperent lon-
gius, & partes Reipub. ijs damnis affligerentur,
quæ nunc illi uniuersæ quandam perturbationis ual-
stitatem minantur. Quod si tum quædam propter
densissimas errorum tenebras perspicere non potue-
runt,

runt, miserandi sunt potius quam insectandi illi, qui quosdam uel maximarum rerum ignorantia, uel cupiditatum turpitudine cœcos in ista caligine duces sequerentur, & una laberentur uel etiam ruerent. Nunc autem detectis ijs stimulis, quibus tunc occultioribus impactæ calces fuerunt, si nihilo minus uehementes esse aliqui pergant, minus etiam uenia digni ipsi uidebuntur, quod non decepti fuerint, sed in perniciem manifestam incurrerint. In omnibus autem fatalibus temporum mutationibus, qualis profecto ea est, in quam incidit ætas nostra, plus cedendo quam aduersando proficitur. Et cum peruicia, tali rerum conditione, res nocentissima sit, ij imprimis leniter clementerq; accipiuntur, qui præcepti ueteris parent admonitioni, quo prohibetur id quod nimium dicitur, & festinatio iubetur esse lenior. Sed rectissime faciunt, ij qui fortiter & ferunt quæ necessitas imponit, & adiuuant atq; promouent uera ac bona, uel saltem falsis & malis, aut dubijs & inexploratis non patrocinantur & opitulantur. In quo tamen & ipso mirabiliter & indignum in modum pleriq; allucinantur. Neq; ea quæ euidentia sunt cernere uolunt, neque intelligere perspicua. Quos etiam improbitas facit callidos. Nam quiduis exquirunt & comminiscuntur, ne ueritate conuicti superatiq; uideantur. Sed his omïssis, historica nos deinceps prosequamur. Iis temporibus igitur, per totam Asiam illa Turcica atq; Persica imperia assiduè

assiduis incursionibus partim euersa partim uastata,
 partim mutatione dominorum grauissimè afflicta
 fuisse comperimus. Tamuralanus quasi impetus ful-
 minis subita ui inuasit, oppressit, corripuit, perculit
 omnia regnorum ijs in partibus orbis terrarum lo-
 ca. Neque ipso mortuo res uspiam pacatæ fuerunt.
 Interea, quasi nihil esset periculi, Pontifex Ro-
 manus tanquam seculares ludos indicere, & Iubi-
lei festa atque indulgentiarum merces proponere ac
ubiq; curare ut publicarentur. Quæ res cum quo-
 rundam doctorum animaduersionem commouisset,
 & audere aliqui cepissent liberius de imposturis &
 nugis illis uerba facere, Tantum adhuc potuit auto-
 ritas Pontificis Romani, & de illius potestate com-
munis omnium opinio, ut quicunque reprehendere
 aut improbare actiones istas auderent, ij tanquam sce-
 leratè & impiè seditiosi, horrendis supplicijs affecti
tollerentur e medio. Qua crudelitate iritati qui-
 dam, concurrerunt, & arma ceperunt, atq; misera-
 biles strages passim ediderunt. Neq; ego inficias eo,
minimè uera uia illos ingressos, & longius quàm o-
portuerit progressos esse fateor, neq; ullum furorem
audaciæ excusandum esse duco, Sed de præpostera
 & inepta atq; perniciosa ratione loquor, quam tunc
 imitam scimus, ad turbas & dissensiones sedandas.
 Cum non fundamenta ueritatis iacerentur, in quibus
 pax insisteret, sed mendacia stabilirentur, & super-
 stitionum confirmaretur falsitas. Erat is qui tum

indulgenti-
 a ponti-
 ficis Romani

rerum summa in Christiani nominis Imperio potie-
batur, princeps optimus, & multis uirtutibus orna-
tus. Non alienus à cognitione liberalium artium,
ingenio præditus satis acri atq; festiuo. Humanitate
autem & usu uariarum linguarum & scientia ser-
monis externi, non ordinis modo sui, sed oranium pe-
nè mortalium princeps. In re militari minus excer-
citatus, uel minus potius fortunatus. Itaq; bella ma-
xima gessit ille quidem, sed infeliciter. Religio ei cu-
ræ erat, cui impendit pecuniam, insumsit laborem,
operam dedit. deniq; nihil omisit & fecit quicquid
potuit, ut certamina & dissensiones illæ, quibus gu-
bernatio Ecclesiastica lacerabatur, componerentur,
& esset principatus iste certus & inuiolatum ius au-
toritatis. De quo nimirum summa erat contentio,
Pontifex Romanus Dominus ut esset & haberetur
congregationis Ecclesiasticæ uniuersæ. Quem edi-
centem, statuentem, iubentem, docentem, audire
omnes oporteret, tanquam alterum numen in terris.
Notabantur autem tum paucae quædam corruptelæ
doctrinæ ueritatis cœlestis, & repræhendebantur ea
quæ non auderent defendere uel sani uel prudentes.
Nundinæ inquam ac mercatus salutis, & ueniæ de-
lictorum, & reconciliatio fauoris & gratiæ Dei.
quæ ita uenibant, ut comparari pecunia uiuorum
mortuis etiam posse affirmarentur. Grauius etiam
ferebant pleriq; non esse aliquos ueritos perspicuam
institutionem filij DEI Domini nostri IESU
CHRIST

CHRISTI, quam ad mortem abiturus tradiderat peragendam & seruandam suis, corrumpere mutilando, & deprauare usurpando. Hæc & his similia, quæ ad integritatem salutaris doctrinæ in Ecclesia pertinerent, cum explicanda, corrigenda, illustranda essent, contrarium plane accidit, Atq; ij i quibus hæc quasi contrectata fuerant, ita sunt accepti, ut non refellerentur uerbis, sed ferro & igni confutarentur, exclusi omni societate generis humani, ad quos neq; misericordia, neq; caritas, neq; iuris ullum uinculum, neq; fidei religio pertineret. Quæ teterima caligo cœli tum tristitia est demonstrata. Nam Anni M. CCCC. XV. Sol mense Iunio defecit, tantis obductis tenebris ut ques in terram delaberentur, & siderum fulgor emicaret, non aliter quàm noctu. Hæc igitur omnino uidere rectum & utile uel salutare potius fuerit, qualia sint, & nunquid profuisset tum signa multiplicia miseriæ maximæ considerare, & conuerti ad curam ueritatis, & studium emendandi detecta & apparentia uitia, Eumq; honorem habere æterni DEI uoce proditis, ut secundum hæc omnia conformanda esse existimarentur, non illa ut aliquorum infinitis cupiditatibus & scelari nefario seruire, corrupta illa quidem & detorta enarrando cogerentur. & quæ alia pietatis & prudentiæ cogitationes solent colligere. Sed nos ad id quod propositum est peragendum reuertamur. Mox anno Christi M. CCCC. XXXIII. &

Qam

Ad 14
solis eclipsis
h. v. m. l. a.

rursum XXXIX. Cometæ uisi. Quæ tempora sunt, quibus creuit atq; confirmata fuit Turcica potentia, & debilitatæ atque fractæ uires regnorum Christiani nominis, dissidijs & mutuis certaminibus potissimum. Ladislai etiam regis Pannonum & Bohemorum mortem antecessit flamma Cometæ, anno M. CCCC. LVI. cum Gallicæ nuptiæ pararentur. Obijt annos natus XVIII. florens ætate & opibus, fortissimi patris filius, indole præclarissima, non sine ueneni dati suspicione. Quæ autem ubique perturbationes rerum secutæ sint, quæ calamitates orbem terrarum peruasent, de historijs quæ in medio sunt, poterit cognosci. Etiam ante Friderici patris Maximiliani mortem, Cometa est conspectus, Anno Christi M. CCCC. XCI. Et mox ferè biennio ante mortem Alexandri Romani Pontificis, annis post proximè indicatum, nouem. Et post hunc rursus alter annis VI. cum mortuus est Philippus Maximiliani F. Et deinde Anno Christi M. D. XXXI. & sequentibus duobus annis Cometæ apparuerunt, quando ea acciderunt, commotæq; & incepta, atq; gesta sunt, Quorum & est memoria hominum recens, & præsens detrimentorum sensus. Superiorum autem annorum fulgores Cometarum, quàm sunt insignes cum summorum uiro- rum atq; principum, tum exercituum maximorum interitu, tum etiam ciuitatum urbiumq; exitio & euerfione, regnorumq; potentissimorum pernicie atq;

atq; labe. Non ferè ullis locis in toto orbe terrarum, non aliquod tristissimæ & miserrimæ fortune damnum datum, aut non inflicta est uehementissima plaga. Quæ nos quidem adhuc de sermonibus & nuncijs cognoscimus, sed proprias clades experiendo sentimus. Eas narrando agitare inter nos, & hac commemoratione augere dolorem atq; mœsticiam nostram non putavi oportere. Ad externos autem celebrare non modo tristiciam acerbitatemq; rerum nostrarum, sed prodere etiam ea quæ non uacent omni ex parte dedecore & culpa, neque honestum esse iudico, & mihi sanè neutiquam libet, præsertim ita animato, ut assentari nemini libenter uelim omnium, & tam timido, ut quæ partim ipse uidi, partim alijs autoribus & testibus locupletibus comperi, ea propter odium eorum, quibus aliqua ad ignominiam nota forte inureretur, exponere non audeam, & inuidiæ causa penitus reticenda esse putem. Alij scribant, si qui uolent, sed ita, ut certa atq; explorata mandent litteris, neq; temere audita aut indicata, pro notis & ueris asseuerando narrent. Ad quod profecto & longi temporis spacium, & hominum prudentum atque fidelium usus requiretur. Est autem hoc sæculum cum alijs uitijs sane corruptum, tum uel isto imprimis, quod affectionibus incredibilem in modum indulget, & ad id, quod uel in re, uel homine aliquis approbavit improbanitue, omnia mirifico studio applicantur, referendo inter-

pretandoq; . Iam , quicquid fortè in mentem alicui
 uenit, Quicquid oblatum est, uel quod iucunditati,
 uel quod offensionis sit, Si qua meditando composita
 fuerunt, si qua astute etiam & fraudulente conficta,
 Ea audacter uel impudenter quoq; diuulgantur, &
 eduntur prohibente nemine. Quem quisque odit aut
 cui irascitur, eum impune insectando lædit. Cui be-
 ne uult, eum ornat prædicando gloriose. Deniq; res
 & negotia de uoluntatis propensione erga perso-
 nas, æstimantur, neq; iudicio aut merito, sed opinione
 & respectu, aliquid tam laudatur quàm uitupera-
 tur. Quapropter unumquemq; hortor, ut ipse ea
 modo quæ accidisse norit & sciuerit, consideret, &
 secundum hæc statuatur tam de hominibus quàm actio-
 nibus. Et hinc colligat, quibus utili cognitione in-
 struatur animus ipsius. neq; de plerisq; mendosiori-
 bus narrationibus pendeat. Quæ autem ad poste-
 ritatem propagentur, in ijs si qui fortè erunt boni
 & docti uiri, qui historiam scribere uoluerint, ij &
 diligentiae operam nauabunt, & industriæ presta-
 bunt studium atq; fidem. Ea autem restare arbitror,
præ quibus quæ hæcenus euenerunt, ludus iocusq;
perhibenda esse uideantur. Id quod $\nu\alpha\lambda\ \mu\alpha\nu\lambda\eta\eta$
 $\nu\alpha\lambda\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \pi\rho\acute{\alpha}\gamma\mu\alpha\sigma\iota$, liquet. Quod si de hac re-
 cente specie Cometæ, quem modo uidimus nondum
 obseruata ratione motus, & quid illo fiat futu-
 rumue sit, cum adhuc ignoretur, tamen est aliquid
dicendum, dici hoc posse arbitror, & bellorum, atq;
 horum

horum imprimis, & pestilentiae mala hoc signo esse metuenda. Vt autem illos ante biennium portentosos fulgores huius generis, Aquilonari plagae minari calamitates uarias, ab ijs qui praedictionibus operantur, demonstratum fuit, Sic de ijsdem causis colligi nunc possit, hoc prodigio peti Italiam, & in ea potissimum Romam, cum & radios illuc tendere uiderimus, & in Leonis signo primum apparuisse hunc Cometam constare omnes credant. Huius omnino sideris significationes praesentes sunt in effectu. Magna enim siccitas & agros squalore & corpora hominum morbis affligit. Caeterorum licet de prioribus coniectura fiat, & diuinet uel ariolando uel considerando qui poterit & uolet. Nunciata autem & alia fuere ijs diebus quibus Cometa fulsit prodigia. Interq; haec arcus nocturni uisi in aere, & cruces decussatae. Monstra etiam quaedam animantium partu edita. Vt omnino euentus admirabiles & singulares & inopinati expectandi esse uideantur. Etsi autem me non fugit prodigiorum famam semper esse foecundam, & ea quae uere nunciantur, de alijs praerunq; quae extiterint nunquam, nouas parere fabulas, tamen & copia quaedam multiplicium signorum est ante oculos, & quae tum affinguntur, ea etiam ipsa portenti instar habere solent, ut in hoc genere nihil omnium contemni debeat. neq; quisquam aliquid contempsisse sine praesente malo suo unquam, deprehendetur. De quibus iam quasi nouo argumento

Siccitas

to

to, quàm multa quàm memorabilia licere referre? neque
 que essent ista ab instituto omnino aliena, & mihi hic
 expositionis labor non ingratus. Sed dum ea quæ
 perscripta sunt elaborantur & eduntur, tantum mihi
 oblatum est curarum & negociorum, ut vix ista iam
 describendo incepta perficere concederetur. quæ si
 animo uacuo fuisset, fortasse & pleniora & poli-
 tiora exirent. Non enim tam iniquè de ingenij mei
 quasi foetibus sentire debeo, quin diligentia à me ad-
 hibita & assiduitate, atq; studio ac labore impenso,
 ueluti elimari posse sperem, in quo & species non
 deformis, & aliquis splendor appareat. Sed mea
 qualiacunq; esse possint, & quæcunq; huius opellæ
 fortuna fuerit, habes tu, Christophore, quasi pensum
 hoc illius. Tibi enim deberi imprimis istam elabora-
 tionem studij mei putavi. Qui & sermone prudentie
 tuæ hanc commouisti, & præclare intelligis disputa-
 tiones eruditas, & opt. artium maximus es amator,
 & ueterem nostram necessitudinem nouis officijs re-
 centibusq; meritis non desinis tueri & augere. Cum
 autem te non possit fugere, quantis in periculis uer-
 setur Respub. Tu quod facis inclinatham & nutan-
 tem fulcies atq; sustentabis cōsilijs tuis. Quæ ubi ma-
 ximè desiderantur, & adhibendi ipsa quæ sit oppor-
 tunitas, non latet sapientiam tuam, Virtus autem ea
 est, ut Reipub. caussa nullum periculum recusatura
 uideatur. Sane res difficiles sunt, neq; multum bonæ
 spei se uspiam ostendit. Non tamen ideo tibi & tui
 similibus

Spei bona parum
 si ostendit

melioris
 rationem
 in
 hanc
 inchoatam

Apostrophe ad
 Carolum
 Dedicatio

facit per
 liberalium
 liberalium
 hanc per
 hanc per

Virtus Reipub.
 ea nulla p[er]icula
 in recusatur

Statione
cedendumSimile a
tempore
uari om

similibus cedendum est statione ea in qua estis collo-
cati. Quin etiam ut non est proratae aut celestae,
aut si qui alij gubernatori inseruiunt optanda in ma-
ri tempestas, sed coorta hac, & artis ipsorum experi-
entia & scientiae industria conspicitur & probatur:
Sic uestro ordini quamuis molesta & tristia accidant
mala publicarum ærumnarum, constantia ac fides, &
quas sepe iam memoro sapientia & uirtus declaran-
da est, in eius navis cursu, quæ iam dudum uarijs pro-
cellis uentorum agitur & iactatur fluctibus. Sup-
petunt autem rationibus ueris & præclaris consulta-
tionibus, adhuc tamen adiumenta non pauca. & boni
uiri qui munera Reipub. gerunt, non omni prorsus
ope destituuntur. Multis enim bonis auxit ætatem
nostram propitius DEVS, & quasi armauit aduer-
sus calamitatum maximarum impressiones. Restitu-
tus est nitor studijs bonarum artium, & ueritas do-
ctrinae patefacta. Aperta itinera sapientiae atq; uir-
tutis, densis prius quasi inscitiae & barbariae uepria-
bus ac dumetis septa & inclusa. Quid autem in ea
parte, qua cognitio æterni DEI & omnis spes salu-
tis incolumitatisq; continetur, cultū uenerationemq;
DEI æterni dico, & Religionis sanctitatem: In
hac igitur quid errorum demonstratum? quid nota-
tum impietatis? quæ mendacia detecta? contra ue-
rò quàm multa eruta è tenebris, restituta integrita-
ti, illustrata interpretando, explicata docendo?
Quod ita esse qui non confutetur, is aut stuporis ui-
tio,

uiri boni Reipub.
gubernatoresAstrum an-
dro cal optis

tio, aut odij uehementia, aut quacumq; sane prauitate
 animi, non uidet uideréue non uult, id quod luce, ut
 dicitur, meridiana clarius est. Atq; ut apud aliquos
recta monendo & suadendo utilia parum forte pro-
 ficiatur, officium tamen si præstetur, & id fiat quod
 debet, cætera nimirum & permitti DEO, & æquo
 animo ferri conueniet, & sequi id quod iubent uersus
 siue Basilij Episcopi seu alterius cuiuspiam, neq; ine-
 legantes & id omnino quod res est præcipientes,

Basiliij distichon. ὡς ἐθέλῃ τὸ φέρειν σὲ φέρει φέρει. ἢ ὃ δ' ἀπι-
 θήσῃς,

ἢ τὸ αὐτὸν βλάψῃς ἢ τὸ φέρειν σὲ φέρει.

Quos aliquando sane audace conatu sic uertimus,

AB. Quod res fert patiare ferens. Sin forte repugnes, AB

Te lædens, quod res fert tamen usq; ferens.

Sed rursus ista iam alterius quasi scholæ explicatio
 instituitur, rerum quidem illa præcipuarum & ne-
 cessariarum, sed de quibus uel coram uer-
bis, uel scriptis aliàs rectius

differetur.

FINIS.

Charta 9. Versu 7. Lege Herculanum. C.37.V.12.

l. conuentorum. C.38.V.16. l. Tamet. C.43.V.

14. l. Prim.

Hand also noli in pany obliuione tenet
quod fatum tandem nobis quante
Et ista dain vogelin so vergessen
Es rüfere ein Stündlein auf sein rufen

